DANIELIS HERMANNI BORVSSI SECRETARII REGII *Poemata* ACADEMICA, AVLICA, BELLICA.



Excusa Rigæ Livonum
Per Nicolaum Mollinum Typographum Anno 1614.

Georg. Lutheri
in Cant. 4. Th.
165
Bibliotheca Universitatis Dorpatensis
1920:4905

LIBER PRIMVS ACADEMICORVM

PERANTIQVÆ ET CELEBERRIMÆ

Reip. Argentinensis

SENATVI NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET PRVDENtissimo, Dominis meis obseruandis, Sal.

VIri Nobilissimi amplissimi & prudentissimi, postquam maritus quondã meus Daniel Hermannus, ex aula Imperatoris Maximiliani II. in has terras delatus, seruitia sua, beatæ memoriæ Stephano Regi addixisset, bonisq; ab illo terrestribus & domicilio honesto donatus esset, pertæsus tandem pulveris aulici & forensium negociorum, priuato & quieto vitæ genere electo, animi recreandi causa, exercitia sua poëtica olim à se conscripta capit colligere: Cumq; ex consilio amicorum typis ea mandare decreuisset, triplex operi, in tres partes, pro triplici vitæ genere, quod vixerat, distincto nomen indere placuit. Hinc ACADEMICA, quæ juvenis cum alibi, tum in Academia vestra, submagno illo Sturmio, primus, eodem teste, memoriter voce ac gestu moderate composito, declamavit: AVLICA quæ in Aula Cæsaris cum amicis communicauit BELLICA, quibus castra secutus Stephani-

phani Regis expeditionem descripsit Moschoviticam. Cumq; singulis singuli quarendi essent patroni, quò beneficium in Academia vestra acceptum ad authorem suum quodammodo rediret, hanc ACADEMICORVM suorum partem vobis inprimis viri Nobil. & ampliss. quorum cum prudentiam in moderanda civili disciplina, tum liberalitatem in fouendis studiis liberalibus & religione sæpè cùm admiratione prædicare solitus est, nuncupare decreuerat. Sed cum fato, heu, immaturo abreptus, voluntatis suæ ultimæ executionem mihi reliquisset, ut & opus & memoriam eius ab interitu vindicarem, & aliquod gratæ eius erga Remp. vestrã memoriæ extaret monumẽtum, hoc quicquid est opusculi, amplissimi nominis vestri clientelæ committere volui, obnixè rogans, ut pium hunc defuncti erga vos affectum meumq; studium animo benigno accipere dignemini. DEVS vos vestramq; Remp. semper florentissimam conservet. Datæ Rigæ Livonum 8. Calend. Iunij Anno 1614.

Danielis quondam Hermanni Secretarij
Regij. Vidua, Ursula Kruger

DANIELI HER-
MANNO BO-
RVSSO.

HERMANNE, gestio videre carmina,
Tibi exarata pridem adhinc annis retro
Multis. Apollo dictitasse Academica
Narratur ipse, & ipsa Pallas Aulica,
Mars Bellica. Euge profer in lucem tria
Diversa, diversoque nata tempore,
Monumenta famæ. Si laborem forsitan
(Quod abominarer) non repénderint Duces
Magnique Reges; sunt enim interdum nimis
Parci & tenaces: Phœbus en laurum tibi,
Minerva Olivam, Marsque Palmam conferet.
Tribus his corollis anne tu Regum & Ducum
Aurum ante ferres? Anteferres, si Midas

(*) *Fores*

Fores. Poëta ſed comas redimirier
Amant corollis. Liberaliſi manu
Argentum & Aurum gemmulasq; adjecerint
Reges ducesque; pulchrius quis & aptius
Neget enitere Palmam, Olivam, Lauream?

Paulus Meliſſus Franc.
Comes Palatin. & Eques.
civis Roman.

DANIELI HERMANNO SVO Salutem.

HOdie & literas & lucubratioes tuas eruditas accepi, hodie legi; hodie reſcribo. Vt ſapuere inquis? Nihil reſpondeo aliud, quam inceſſiſſe me ſubitò neſcio quod verſificandi Cacoëthes, & natum eſſe hoc, quicquid eſt Epigtammatis, quod ſubjungo.

AD

IN POEMATA DANIELIS HERMANNI BORVSSI

Academica, Aulica, Bellica.

ARS vigil, AVLA frequens curis MARS horri-
Discordes studiis ingeniisq; diu, (dus armis,
Tandem inimicitias posuerunt Pallade nata.
Et jam tranquillæ fœdera pacis amant.
Inde triplex nostri Laurus prognata BORVSSI,
Quem doctæ subolem Virginis esse liquet.

Avidissimè videre aveo Trigam illam mirificam, Tu qui hoc in me desiderium accendisti, quique unus explere illud, & impensè beare me potes, ut ne destituas misellum, sed lauticiarum illarum participem me facias, ita rogo diligenter, ut diligentius non possum.

Ad altiora nunc avocor, nec possum vel exspectationi de me tnæ, vel amori erga te meo satisfacere. Benè vale, Domine Magnifice, Amice veterrime,

& inter eos me esse, qui & sincerè te ament, & dignè æstiment, persuasissimum habe. Calamo festinante ex Musæolo meo Cniphoviano ad Montem Borussorum Regium. Propridie Cal. April. Anno 1596.

T.

Sebast. Artomedes Fr.

IN
DANIELIS HERMAN V. CL.
ACADEMICA.
AVLICA.
BELLICA.

PRima Academiolis tua dedita defluit ætas;
Aulis quæ sequitur; tertia militiæ.
Inde tibi titulis sunt scripta atq; edita ternis.
Nata etiam totidem carmina temporibus.
Carmina, quæ relegens Phœbus miretur ephœbus;
Cum Phœbo esse putent quæ sua Pierides.
Hinc aulæ strepitus? hæc classica militiai?
Nunc, puto Pierum Mars quoq; discet epos.

Martinus Braschius Academ. Rost. p. p.

AD

AD CL. VIRUM, DN. DANIELEM HERMANNVM, DE TRIPLICI OPERE IPSIVS ACADEMICO, AVLICO BELLICO.

ERgo Scholæq; Aulæq; vacas, & Bellica tractas,
Hermanne, ingenii dexteritate tui.
Vix sola à solo tractari hæc posse videntur,
Quæ tu trina vnus: jure Triumvir habes.
Non numero tantum vir tertius: ex primis vnus
Quæ vix tres alij continuasse queant.
Sic merito grates vni pro munere trino
Turba triplex debet, Militia, Aula, Schola.

Solomo Rysinius scripsit Rigæ
VI. Cal. Quinctil. cIↃ. cI. C.

IN DANIELIS HERMANNI NIDEBVRGO BORVSSI POETAE si non vetusti, maximé tamen venusti.

ACADEMICA, AVLICA, BELLICA

VT comta VATIS carmina PRVSSICI
Legi resultans lætitiâ, manus
Gnari ligamento priusquam
Vinxerat artificis venusto:
En uda PHÆBVS tempora laureis,
MARS cinctus armis membra micantibus,
PALLAS ioco stipata dulci,
Plausibus emicuêre lætis.
Me, Me, BORVSSVS laudibus extulit
Adusq; cæli sidera; quilibet
Fari videbatur, locumq;
Iure sibi tribuisse primum.
Tandem perosus jurgia CYNTHIVS
Capti, profatur, carmine Arionis
Vmbrâ quievêrunt sub vna
Cum canibus lepores fugaces.
Rapax columbis accipiter vagis,
Vorax & agnis junctus erat Lupus.
Nos dulcibus rixas & iras
Ad rabidas rapimur Camenis.
Primus BORVSSO lauriferos dedi
Lustrare lucos, Castali & vberes

Nobis

Nobis ſacri potare fontes.
Inde mihi locus eſto primus.
Lucis ab udis Cæſaris inclytam
Aggreſſus Aulam concinit AVLICA,
Opus joco plenum, joco ſæ
PALLADOS hinc locus eſt ſecundus.
Hinc bella Moſchis debita perfidis,
Fractas & urbes, atq; ſuis agros
Miratur orbatos colonis.
Tertius hinc locus eſto MARTI.
Sic PHÆBVS. Orta diſſigiunt procul
Lites, amanis cumq; ACADEMICIS
Statim ligamento ligantur
AVLICA, BELLICA pulcriore.
Nomenq; VATIS nobile PRVSSICI
Ortum propagant Solis ad arduum,
Et quâ faces idem ſub undis
Pronior Heſperiis recondit.
Felix iò VATES ter, & amplius;
Cui creditas poſt exuvias humo,

Eamâ

Famâ solo datur perenni
Vivere, vivere Mente cælo
Donec vago quæ pendet in aëre
Librata tellus, mole ruat suâ;
MENS & suas induta vivas
Exuvias, vigeat per ævum.

Matthias Saccus Revalia Livo,
Philiater.



DANIELIS HERMANNI NIDBVRGENS. BORVSSI DE Instituta Academia Argentinensi Oratio: publicè habita Argentinæ, in Templo Prædicatorum, Anno 1567.

IVra, virumq; cano: Austriacis heroibus Argẽtoratum qui magno ornauit honore, Cortus Maximus Æmilius: quo sese Cæsare jactant Teutones. Hic quanq; bello fuit obrutus acri, Pannonias ut opes, diuisum, & flebile Regnum, Invasêre truces numeroso milite Turci: Non tamen Aonidum oblitus, non ille Scholarum, Sed nova honorandis ponit fundamina Musis, Et studiis leges, & iura Academica sancit, Hîc, ubi diuiditur longo sub ponte bicornis Extra urbem Rhenus: maioremq; Vrbis ob usum Cornu uno didicit merces adducere muris, Argentina tuis, ex teq; reducere merces. Casti Qui mare, qui terras, qui verbo cuncta creSidera, summe parens, præsentibus annue ceptis. Da precor, ut facili versus nascantur in ore, Et valeat dulces mea mens percurrere laudes. Quos tibi nũc igitur gratanti carmine plausus? Propositio. Anno 1566 quo Turci bello aperto Vngariam inuaserunt, Priuilegia Academiæ Argentinen sunt impetrata. Inuocatio. Narratio.

Quasúe dabo dignas Schola laudatißima laudes?
Clarum nomen habes: multas tua fama per oras
Viva volat; longeq́ Scholas supereminet omnes.
Cõparatio. *Non secus ac primo cum Sol consurgit Eoo,*
Obvelans radiis stellas per inane micantes.
Nec mihi mens vultu sic est sufflata superbo,
Vt reliquas ausim Musarum carpere sedes.
Quaq́ suam teneat Germana Academia laudem.
Enumeratio Academiarũ Germaniæ. *Austriacam gentes quæ non novêre Viennam?*
Viennẽ. instituta 1356 *Hæc prima eq́ Scholis est antiquißima cunctis;*
Austrius Albertus statuit quam tertius olim,
Danubius trifidas ubi maximus explicat undas:
(Namq́ triplex trifido pons hîc insternitur Istro)
Oppoßita hîc sævis sunt propugnacula Turcis,
Romani Imperii Austriacorumq́ ære parata:
Et stant mole sua, foßis atq́ aggere cincta.
Quæ conatum omnem Turcis aditumq́ repellunt,
Hunc portũ, hos aditus, fauceßq́ has, ne ferus hoßtis
Occupet, atq́ viam patefactam extendat in oras
Germani Imperii: ßed Dii prius omen in ipßum
Convertant, jubeantq́; retrò ßecedere victum.
Monimentũ Nicolai de Salmis. *Hîc in Dorothees Templo jacet inclytus heros,*
Nicoleos, natus Salmorum è gente vetußta.
Nam cùm tormentis quateret muralibus Urbem,
Europæ ille horror Solymannus, iamq́ revulßis

Aggeri-

Aggeribus, murisq́ in vallum aſcenderet altum:
Salmius hîc heros Turcorum millia multa
Reppulit è vallo. At forti dum pectore denſos
Stat cuneos contra, allapſi de vulnere ſaxi
Concidit, & moriens victo palmam abſtulit hoſti.
Templo alio dormit paruo ſub marmore Celtes, Conradus Celtes.
Primus qui vates fuit in Germanide terra.
Praga Bohemorum Regni caput, vrbſq́ vetuſta, Pragen. inſtituta 1360
Muldana quam rapidis turritam diuidit undis,
Carole quarte tuus quas ambit marmoreus Pons,
Clara ſuo Cecho eſt: & forti clara Lybuſſa.
Clarior at longè fuit, ut Schola, Carole Quarte,
Auſpiciis fundata tuis hîc floruit olim.
At florem amiſit, fatorum numine lævo, Academia Pragen. amiſit florē tempore diſſidii Huſſitani.
Diſſidiis coucuſſa internis: miſit ut Huſſum
Concilii ad proceres: flammiſq́ cremauit eundem
Damnatū, inconſtās, Conſtantia, digna vocari.
Tunc toto in Regno ruere omnia viſa Bohemo:
Sciſſaq́ Relligio: Regnū ſciſſum: & Schola ſciſſa.
Hinc Ciſco arripiens quæſitam ſæpius anſam, Ciſco inhiat bonis Eccleſiaſticis.
(Plurima iamdudum meditatus pectore ſecum,
Occupet ut fundos, & opes, & prædia opima,
Artibus ingenuis quæ priſca ſacraverat ætas) (pla Ciſco omnia ferè Monaſteria in Regno Bohemiæ euerſa.
Ciſco hoſtis Monachorū antiqua Monaſtica Tem-
Diruit, & Monachos Monachas ejecit & omnes.

Vtq; queant gesta hæc seri meminisse nepotes,
Monimentū Ciſconis. *In Templo Pragæ veteris, depictus habetur*
Ciſco, flagella tenens, validis ferrata lacertis,
In ſolos vibrata illos quibus eſt coma tonſa,
Calceus è ligno: & mento palearia ab alto.
Cernere & in tabula eſt, palātes undiq; fratres,
Errantesq; ſimul, turbata mente, ſorores
Tendere in exilium, everſisq; excedere tectis.
Hæc Tabulæ pictura affixa in pariete Templi,
Extat adhuc Pragæ, ſqualore obducta, ſituq;.
Tale ſui Monachis monimentum Ciſco reliquit.
Ciſco bona omnia Eccleſiaſtica in ſecularia cō uertit. *Atq; utinam Monachos (ſi ſic meruêre) fugaſſet:*
Templa ſed, & reditus, doctarū alimēta Scholarum,
Non ita diſtractos, vanos vertiſſet in uſus.
Cuncta uſu bona ſunt: in abuſu peſſima cuncta.
Nunc tot Templorum reditus, tot prædiaq; ampla,
Hic atq; ille tenet: vacua ſtat Muſa crumena:
Atq; exoſa Scholas pauco ſe vix alit ære:
Barbariē unde ſequi rurſum (mihi crede) neceſſe eſt.
Heidelbergēſ. inſtitutæ 1388. *Qua te laude canā nunc Heidelberga? racemis*
Vndiq; vitiferis circumdata? & undiq; cincta
Iuniperi baccis, ad Nicri rauca fluenta?
Hîc decus Italiæ, doctiſſima Olympia quondam,
Monimentū Olympiæ Moratæ. *Quæ virtutū aliis ſummum affectabat Olympum,*
Poſthabita Italia, Gruntlero iuncta marito,

Insigni Medico fuit: artes estq; professa
Ingenuas Sophiæ: Latium quoq; fundere carmen
Et Graium poterat. Memorabilis illa Virago,
Illustri ingenio, castis & moribus aucta,
Quæ decus eximiũ, & mulierum erat ornamentum,
Fato functa, animam præmisit Olympia Olympo:
Corpus at exanimum tenet Heidelberga sepultum.
Hìc quoq; Lotichius vatum decus, & decus orbis,
Culta, Palatini per cultum Principis hortum,
Carmina ludebat, viridante sub arbore Lauri.
Nunc cinis est; at de tam claro vate relicta
Gloria, quæ totum monimentis compleat orbem.
Nunc memoro populosa tuas Erphordia Musas,
Parvus Myra suis quas interlabitur undis.
Hìc extat comitis monimentum nobile Glichi,
Legitima in patriis terris uxore relicta,
Qui miles contra Saracenos iuerat olim:
Quando Palæstinas vastarant undiq; terras:
Æthiopes inter captus tunc, Æthiopissæ
Reginæ victus votis, abduxit eandem:
Atq; Papæ indulto gemina cum coniuge vixit.
Hinc in marmorea medius stat mole videndus:
Regina & dextrum latus obtinet: altera lævum,
Hæc genuit natos: sterilis Regina remansit.
Tu quoq; ab Agrippa Urbs Agrippina vocata,

Fulvii Moræi Ferrariensis Philosophi Filiæ.

Petrus Lotichius Secundus.

Erphordiæ institutæ 1392.

Monimentũ cuiusdã Comitis de Glichen, cuius familiæ arces & bona quædã non procul ab Erphordia sita sunt.

Coloniẽ. instituta 1395.

Esse Scholas inter Romana Colonia gaudes:
Olim Vbios inter Caput haud ignobile priscos.

Lipsien. instituta 1409.

Lipsia dives opum, insigni munitaq; castro,
Te Camerariodos gentis florem, Ioachime,
Detinet: argolico tantùm sermone valentem,
Vt neget è nostra te natum Græcia gente.

Rostochien. instituta 1419.

Nec te prætereo Rostochia clara, Caseli
Clarior ingenio docti: geminisq; Chytræis,
Quorum alter, triplicis linguæ celeberrimus usu,
Tantùm alios, quantùm Sol stellas anteit omnes:
Alter Pegasei secretas fontis ad undas,
Ludit Apollineo carmen memorabile plectro.

Louanien. instituta 1426.

Louanium meritò inter claras poneris Vrbes,
Quòd celebris celebrem docuit te Sturmius olim,
Qui nunc Argentina tuo dat iura Lycæo.
Tu quoq; Louanium præstantẽ Carmine Duzam,
Duzam acrẽ Satyris: salsoq; Epigrammate lenem,
Mirata es juvenem: primæ lanuginis ævo
Florentẽ ingenio: Musis & Apolline digno.

Ianus Duza Dominus de Nortvvig.

Gripsvvaldeñ instituta 1457.

Nec Pomerana mihi Gripswalda indicta manebit:
Laude sua digna: & quæ priscis floruit annis.

Friburgeñ. instituta 1465.

Quis Brisgoia tuum ignorat Friburga Lycæum?
Iustitiæ præstans ubi Zasius ille Sacerdos,
Quem Themis edocuit sanctarum oracula legum
Pandere, & in dubiis litem decidere causis.

Vdalricus Zasius I.C.

Quis

Quis neſcit, Baſilea, tuas arteſq; typoſq;? Basilien. sub idē tempus.
Inſignem fama & ſcriptis quæ condis Eraſmum.
Hîc iacet arte Plato: Cato vita: Tullius ore:
Neſcio quis veteres Monachos celeberrimus inter: Inscriptio saxi cuiusdā vetustissimi.
Nomen abeſt tumulo: periitq; inſcriptio priſca.
Hîc Grynæe iaces: nomenq; domeſtica Lampas Simon Grynæus: Oecolampadius: Theodorus Zwingerus.
Cui dedit: hîc Vitæ humanæ, Zwingere, Theatrum,
Rerum humanarum ſpeculū quod præbeat amplū,
Ingenti ſumptu, magniſq; laboribus edis:
Ex quo magna tui per terras currit imago.
Tu quoq; Danubii Ingolſtadia cincta fluentis, Ingolstadiē instituta 1471.
Grandibus aggeribus, latis munitaq; foſſis,
Sub Duce Boiorum ſita: claris artibus aucta es.
Audivi hîc nuper ſenio graviore Theandrum,
Ardua divini explanantem dogmata verbi:
Et te Ninquardum ciuilia iura docentem.
Vitus Amerpachus, Staphyluſq; hac vrbe quieſ- Staphylus Ingolstadii sepultus.
Sat tumulos vidiſſe: quieſcant pace ſequeſtra. (cūt:
Sunt etiam claræ præconia multa Tubingæ, Tubingen. instituta 1477.
Capnio litterulas ubi primus legit Ebræas: Ioannes Capnio.
Primus ab Italia quas iſtis intulit oris:
Et de mirifico Verbo, deq; arte Caballæ,
Eruta ab arcanis oracula tradidit umbris.
Mogus ubi Rheno permiſtis iungitur undis, Mogūtinen. instituta 1482.
Hîc etiam floret doctis Moguntia Muſis.

Ex-

YBS Rosenthaliana

Extat arenoso statua hicq; in littore iacta,
Drusus Germanicus. *Drusus ubi Cæsar Germanicus occidit olim,*
Romanos fines propugnans fortibus armis,
Sic mortem & nomen Druso Germania fecit.

VViteberg. genn. institu. an. 1502. *Albiaci Ludi cui non est cognita fama?*
Excitus fatis audaci ubi corde Lutherus,
Opposuit sese intrepidum prisca omnia contra,
Relligione Papæ multos servata per annos,
Seu fato, seu sic Monachorum pœna ferebat.

Francfurtenn. institut. an. 1506. *Odera seu Viadrus, Francfurtū ubi præterit, illic*
Willichius recubat: Prutenæ gloria terræ
Altera: nam primam tibi do Copernice laudem.

Marpurgenn. institu. an. 1527. *Nec monto satuum nomen Marpurga tacebo:*
Colloquium hîc inter Bucerum, interq; Lutherum,
De cœna Christi fuit, & concordia facta:
Concordia hæc facta Anno 1533. *Attamen hæc rursus facta est concordia discors.*
Teutonica iacet hîc Eobanus in æde sepultus
Eob. Hessus. *Hessus, Pieridum clarissima fama Sororum.*

Regiomōtana instituta 1544. *Alloquor et te nunc, patria mihi iuncte ppinqua*
Regie mons: geminis quem Bregela circuit undis.
Georgius Sabinus. *Rector in hoc primus Musarum monte Sabinus,*
Perpetuusq; idem tenuit moderamina Rector.
At postquam infecit peregrina tabe Borussos,
Ille, viri sancti mentitum nomen Achivum
Andreas Osiander. *Qui sibi fingebat, furiata mente Osiander,*

Christe

Chriſte tuum extenuans meritũ, effuſumq; cruorẽ,
Diviſumq; trahens ſenſa in contraria vulgus,
Rurſus ab hoc Regis diſceſſit monte Sabinus,
Hæcq; animis ſciſſis lacerata Lycæa relinquens,
Exegit reliquam Viadri prope flumina vitam.
Nunc docet ingenuas in Regis monte Camœnas Matthias Stoius
Stoius, Aonia & Medica celeberrimus arte,
Atq; alii celebres doctrinæ inſignis ob uſum,
Florentes omnes, concordes mentibus omnes.
Tu quoq; Iena viges ſtudiis Turingica honeſtis, Ienen. inſtituta 1558.
Æmula Saxonicæ Rutæ: albo adverſaq; monti:
Stigelius fuit hîc: quo non felicior alter Ioannes Stigelius.
Carmina fundebat liquidum reſonantia ad Ilmum.
Hac igitur ſerie memoratis ordine Ludis, Argentinen. inſtituta 1567.
Muſarum his (ſequitur quas Argentina) palæſtris
Non deſunt laudes: non deſunt atria doctis
Plena viris: quos ſi cunctos comprendere vellem,
Cederet iſta dies: prono ſe lumine Titan
Conderet, atq; umbris nox alta volaret obortis.
Proinde Scholis reliquis reſtat ſua gloria, reſtat.
In quo ſed teneræ maior ſit cura Iuventæ
Par tibi vix ullum eſt, Vrbs Argentina, Lycæum.
Huc igitur meritò variis mittuntur ab oris, Argentinen. Schola frequentiſſima.
Innumeri juvenes, clariſq; parentibus orti.
Solis in exortu extremos prognatus ad Indos,

Quàq́ dies medius calidis exæſtuat Horis,
Si quisq̃ poſſet, greſſus huc flecteret ultrò.
Nam quos occiduas verſus Nox educat undas,
Omnes huc veniunt, veniunt doceantur ut omnes.
Quàq́ Aquilo immiti ſpirans animoſior aura
Stridet, & immanes producit cornibus Vros:
Affluit huc paſſim peregrinæ turba juventæ.
En procul hinc natus ſub ſidere Mænalis Urſæ,
Nicolaus Chriſtophorus Radzivil. *Illuſtris Princeps Lithuanæ gloria gentis,*
Huc etiam greſſus fixit Radevilius heros.
Non tantũ, ut varias hinc atq́ hinc advena terras
Luſtraret: (quamvis hæc una fuit quoq́ cauſa)
Sed magis ut doctis juveniles artibus annos
Augeret: duplicíq́ domum cum laude rediret.
Ioannes de Samoſcio. *Quin & Ioannes Samoſcius hîc quoq́ vixit:*
Quo (veluti quondã Marcello Romulidûm gens)
Sarmatia inſigni nunc ſeſe jactat alumno:
Quem Padus ipſe ſuũ Rectorem amplexus honore,
Tota ſed ingenium mirata eſt Auſonis ora,
Galliaq́ ipſa triplex: Iuvenis florente ſub ævo,
Summa quòd exoptans, Martẽ conjungere Muſis
Semper erat viſus: Romano deq́ Senatu,
Miranti Italiæ monimenta illuſtria toti,
Prima rudimenta at Gallis Mauortia liquit.
Hic erit (atq́ haud vana reor) venientibus annis,

Tur-

Turbati fulcrum Regni, ſi forſan Erynnis
Defectu ex Regum & delectu ſæviet orta:
Conſilio, atq; armis lapſas hic reſtituet res.
Te quoq; Drojovi Thoma, Urbs hæc viderat olim,
Et Coneſpolios, & quos mihi dicere longum
Sauromatas, donis virtutum heroibus auctos.
Ergo quòd ex omni veniunt huc parte locorum,
Illuſtri de ſtirpe ſati, vel nobile quotquot
Nomen habent, claræq; gerunt inſignia ſtirpis:
Gratia debetur meritò tibi, clare Senatus,
Qui Chriſto primùm, dein caſtis atria Muſis
Erigis, ut doctos poſſis educere natos.
Nec tibi ſic nummi occulta clauduntur in arca,
Iuſta viris renuas ut præmia reddere doctis.
Namq; & proventus, quos Clerica turba tenebat,
Diſtrahis haudquaq̃, aut Urbis convertis in uſus,
Hoſce Scholis, doctiſq; viris alimenta ſed offers,
Larga ſat, ut cunctis ſit ſuſtentatio certa,
Collecto hinc atq; hinc nec quisq̃ vivat ab ære.
Hunc finẽ, huncq; ſcopũ ſpectaverat alta vetuſtas,
Ordinis & primus Monachorum conditor olim,
Doctrina & vita cùm nondum degeneraſſent.
Laude igitur digna eſt res, quòd, venerande Senatus,
Proventus tales linquis Templiſq;, Scholiſq;,
Et melior em uſum ſublato quæris abuſu.

Ioañes Thomas Drojovius.

Ioannes & Andreas Coneſpolenſes.

Senatus Argentinenſis liberaliter alit Profeſſores et Magiſtros.

Argẽtinenſes proventus antiquos Eccleſiaſticos Templis & Scholis reſervarũt.

Præter eos reditus quos priſca ſacrauerat ætas,
Si qua tenes auri facti infectiq; Talenta,
His doctos veluti precio precibuſq; fatigas,
Et ſic ex variis huc multos allicis oris.
Illos namq; fugis Stigii velut agmina Ditis,
Concordia Argẽtinenſis Scholæ. *Qui non grata ſerunt tranquillæ ſemina pacis,*
Sed rixas pariunt de lana ſæpè caprina,
Impia ſolventes linguis diſcordibus ora.
Concordiæ maxima vis. *Concordes nos eſſe decet: concordia parvas*
Auget opes: magnas ut opes diſcordia frangit.
Vnanimes ergo hac ampla quia vivitis Vrbe,
Creſcit publica res: Schola creſcit: gloria creſcit.
Huc ades ingenuas ſi quis cupis ire per artes,
Trium linguarum & Facultatum exercitiũ in Academia Argẽtinẽſi. *Sacra vel Aonii conſcendere culmina montis.*
Huc ades & ſi quis linguam cognoſſe Pelaſgam,
Ritè cupis, nec te trahit error in avia multa,
Quem juvat eloquii, Cicero fons ille, Latini,
Sancta Sacroſancti quem tangunt dogmata Verbi,
Aut artes Medicæ, aut numeroſa volumina Legũ,
Impiger hæc ſubeat fundati tecta Lycæi.
Hîc velut optato manantem è fonte liquorem
Hauriet, atq; ſitim placitis relevabit in undis.
Nam ſcatet Alſatiam fons neſcio qualis ad Vrbem,
In quo ſi teneris figat veſtigia plantis
Imberbis juvenis, maturo hic doctior ævo

Præ-

Præbebit varias exculto pectore dotes.
Non ego verba loquor ficto simulata sub ore,
Testis tu juvenum lectissima turba frequentum,
Pulpita vos, Cathedræq́, & scamna, sedilia, mensæ,
Tu paries testis, Templo qui creber in isto,
Quemq́ sigillatim puerorum ex ordine longo
Audis, & meritos virtuti expendis honores,
Æmula distribuens meliori præmia parti.
Sum memor: & dulce est reminisci temporis eius,
Quo puer ascendens, ex terna Classe, secundam,
Argentinensem capiebam, munera, nummum,
Lilia quem decorant rutilanti incusa metallo.
Et mihi adhuc nummus gazas hic ornat amatas.
Mnemosyne Mater nam collo appendere iussit,
Rem versu signans. Vates Hermanne Borusse,
Munus in Alsatia hoc partum portabis ubiq́.
Quàm benè apud gratũ veteris stat gratia honoris?
Quòd si certa meæ quæ sit sententia menti,
Dum moror in tantæ studiosus laudibus Urbis,
Fortè roget quisquam dubiis qui sensibus hæret,
Obvius hæc illi constanti mente profabor.
Iam novies magnum Sol emetitur Olympum,
(Tam citò abit tempus, volucres vertuntur & anni)
Cùm puer ora meæ signans intonsa juventæ,
Huc primum veni, patriis procul actus ab oris:

Argentinæ statis temporibus Examen puerorũ discentiũ publicè habetur.

Doctiores reliquis Discipuli præmia accipiunt.

Id factum Anno 1559.

Daniel Hermannus Año 1558 primũ Argẽtinam veni: deinde Anno 1567.

Patria namq; mihi eſt validis habitata Boruſsis.
Huc niſi veniſſem tria nondum luſtra recenſens,
Non ego nunc biberẽ hos ex Andide fonte liquores,
Quà tonuit Maro, ceu crepitantis fulmẽ Olympi.
Ergo quòd in campo Aonidum nunc verſor amœno,
Molior hincq; graui memorãda per orſa cothurno
Surgere: blanda mihi quòd odoras Muſa corollas
Conficit, & dulces intexit floribus artes,
Me fateor debere Scholæ huic: ſemperq; fatebor,
Ipſa meæ donec procumbent ſtamina vitæ.
Sed quid ego hæc multis fortaſſe ingrata revoluo?

Apoſtrophe ad Senatum Argẽtineñ.

Ad te nunc iterum mea Carmina, clare Senatus,
Dirigo: nam virtus oculis tua maxima noſtris
Occurſat, ſtimuliſq; meum non ſegnibus iſtud
Incitat ingenium, majora his viribus auſum.
Non modò docta virûm tu colligis agmina paſſim,
Accita hinc atq; hinc: ſed & ampla deligis Vrbe
Præſtantes virtute viros: pietate verendos:

Formæ Reipublicæ Argentinenſis.

Juſtitiaq; graues, ſine qua durabile nil eſt.
Illa beata ſolet Reſpublica ſcilicet eſſe,
Quæ ciues oculata bonos numero eligit omni,
Quorum virtuti juncta experientia rerum,
In patriamq; fides, & amor communis, amandam,
Clarior eſt tantò, quantò lux clarior umbra eſt.
Ergo Senatorum numerus quò talibus extat

Auctior

Auctior è membris, hoc maius robur habebit.
Præcipuè quando mixta eſt quoq; Civibus ipſis,
Patria Nobilitas, virtute illuſtris, & armis,
Civicus at lectus variis è gentibus ordo.
Qualis erat quondam doctis Reſpublica Athenis,
Qualis eratq; ſtatus fortes Lacedæmonas inter:
Talis in hac ampla eſt ordo clariſsimus Urbe,
Atq; Magiſtratus longè pulcherrima forma.
Namq; hinc orta fluunt, veluti de divite vena,
Diſtincta officia, & variarum munia rerum.
Ille regens cunctos æquo moderamine cives,
Et premet, & laxas Conſul dabit æquus habenas:
Parcet morigeris, refrenabitq; feroces,
Contentuſq; toga plebeium tranſiget ævum.
Alter ubi Martis bellorumq; ingruet horror,
Conſulet, ut patriam defendat ab hoſtibus Urbem,
Proq; focis, ipſiſq; aris juſta induet arma.
Inde alii atq; alii, quos quiſq; eſt aptus ad uſus,
Impendent artemq; ſuam, cumq; arte laborem.
Sic, ſic ſalva manet Reſpub. ſalva manetq; Urbs,
Quiſq; ſuum officium cùm convenienter habebit.
Gratulor ergo tibi talem Reſpublica formam,
Utq; diu felix ſis Argentina, precabor.
At morum qualis tibi ſit cenſura bonorum,
Id pia declarat moratæ vita juventæ.

In Ciuiũ Ius optimi quiq; tam ex Nobilibus quã ciuibus eligũtur.

Comparatio Reipub.

Officium Conſulis.

Officiũ viri militaris.

Officiũ plebeiorum.

Iuuentus ad modeſtiam educatur.

Nam

Nam quæ ſtricta tenes æquali iura tenore,
Illa manent cunctos pariter magnoſq́ humileſq́:
Diues inopſq́ tibi nullo diſcrimine habentur.
Adde, quod externis quicunq́ huc venit ab oris,
Muſarum cauſa: quocunq́ exiſtat is ortu
Senatusconſultum de peregrinis, qui diſcēdi cauſa Argentinā veniunt.
Sanguinis, hoc doctum cogetur adire Lycæum
Sedulus. Hoſpitio ſeu docti fortè Magiſtri,
Siue etiam ciuis Menſæ ſuſceptus ad uſum,
Vitam aſſuefaciet ſedatis moribus omnem.
Ni faciat, laxiſq́ velit diſcurrere habenis,
Ille Schola, hoſpitio, & doctorum excluſus ab albo,
Publica turpè ævum inter Diuerſoria ducet.
Sic peccare mali metuunt formidine pœnæ,
Et peccare boni nolunt virtutis amore.
Floruit hæc ſemper Schola: tam multoſq́ per annos
De benè morata præconia multa juventa
Schola Argētineñ. iuſtis de cauſis iure Academiæ à Cæſare donata.
Obtinuit: laudemq́ ſibi nomenq́ paravit.
Hanc igitur merito Cæſar dignatur honore:
Iuraq́ concedit: reliquarum more Scholarum,
Pòſt liceat certam ut ſtudiis decernere palmam,
(Sicut honos artes, laudumq́ immenſa cupido
Conſervat:) Nunc ergo gradus, tituloſq́, decuſq́
Hæc Schola producet, peregrini haud indiga Iuris.
Apoſtrophe ad Maximilianum Cæſarem.
Maxime, qui ſummis nomen virtutibus imples
Æmiliane, quibus cœlo te laudibus æquem?

Quòd

Quòd pius Aonidum non immemor esse sororum
Qui potes, is doctis instauras atria Musis,
Iusq; datum huic Ludo imperiali robore firmas.
Nos procul absentes pro tanto munere dignas
Dicemus semper grates, gratiq; vicissim, Votum.
Pro te ter magno faciemus vota Ionanti.
Ille tuo Imperio felicia fata rependat,
Eius ope expulso Hungaricis de finibus hoste,
Det tibi Turcus atrox converso terga caballo,
Quadrupedumq; volans tibi corruat agmen equo-
Salve læta dies Maiis exorta Calendis, (rum.
Qua promulgantur præclari Iura Lycæi. Anno 1567 Cal. Maij Priuilegia Academiæ Argẽtinẽsis promulgata
Vt plausum ingeminant juvenes? ut Prusca sonoras
Circinat altus aquas? ut summo in vortice gyros
Se rotat? Aonias eructans fluctibus undas,
Invitansq; sacros jucundo murmure Vates?
Vos etiam insignes multùm salvete Scholarchæ, Scholarchæ Academiæ & Scholæ Argẽtinẽ.
Qui geritis niveo canos in vertice crines.
Hancce Scholã, & quodcunq; boni nũc floret in illa,
Vos regitis: vestro crescunt sub nomine Musæ,
Et clarescentem tollunt ad sidera famam.
Neúe trahant aliquam studia hæc convulsa ruinã, Officium Scholarchaꝝ rum.
Discentum ex vicio, aut aliqua de labe docentum,
Prospicit officii vigilans industria vestri: Schola Argentinẽn. in decẽ Classes destincta.
Quando Scholæ denas distinctas ordine Classes

Sæpius intratis: juvat interdumq; docentem,
Discentis juvat interdumq; videre profectum.
Talis cura Scholæ vigiles facit esse Magistros,
Et teneris animis juvenum calcaria subdit.

Henricus à Mulheim, Fridericus Gotzhemius & Carolus Mygius, Scholarchæ.

Ergo Henrice tibi longam precor optime vitam,
Nobile Mulhemio qui ducens stemmate nomen,
Hanc nunc consiliis Urbemq;, Scholãq; gubernas.
Tu quoq; Gotzhemi, locupletis nomina pacis
Qui geris: atq; alia tu Mygi Carole parte:
Este salutati: felici vivite vita.
Vos penes imperiũ est: in vos Schola tota recumbit:
Tres estis numero: sed re numerosior ordo.

Sub Consulatu Ioannis de Persa Priuilegia petita.

Subticeamne tuas, Persa ornatissime, laudes?
Consule quo, nostro sunt Iura petita Lycæo.
Sumsit at hæc alter Consul te pone secutus,
Meieri nomen tulit is: justissimus unus,
Qui fuit in multis, dum vitæ fata sinebant.
Sed quamvis triplices tua nuper stamina Parcæ,
Meiere, abstulerint: tamen hoc solamen habere
Nunc potes, hac tota vivum quia nomen in Urbe,
Functus habes: pariterq; anima vivente Tonãtem
Cernis, & è supera nos omnes ingemis arce.
Iamq; Vale: extremi donec nos hora diei
Conjunget: clauso interea requiesce sepulchro.
Te sequitur Consul Lorchero sanguine natus,

Succes-sor Consul Meier impetratis Priuilegiis obijt.

Caro-

Carolus: ille tuæ post fila abscissa senectæ,
Tradita communi assensu moderamina sumsit.
Huic quoq; nos justum semper tribuemus honorem,
Consule quo clari fundantur Iura Lycæi.

Consule Carolo Lorchero Priuilegia publicata.

Nec tu carminibus, Ludovice, tacebere nostris,
Grempi: Namq; parem tibi tellus Teutona quenquã
Vix habet, implicitos legum qui solvere nodos,
Et melius possit dubias decidere causas.
Te cives igitur meritò venerantur, amantq;,
Totius hæc Vrbis moles te consulit unum,
Et verbosarum discors concordia legum.

Ludovicus Grempius I. C. Argentinen. Syndicus.

Cætera nunc etiam doctorum turba virorum,
Concelebranda meis æquo esset jure Camœnis:
Sed mihi difficilis, siquidem natura pusillas
Ingenii concessit opes, vireſq; negavit:
Longa mihi series campo se offerret aperto:
Forsitan & media vectus sub nocte Bootes,
Lenta prius loris libraret plaustra solutis,
Quàm mea Musa queat cunctas exponere laudes,
Horum, quos fovet hæc Academia clara, virorũ.

Professores & doctos omnes enumerare res difficilis.

Vnus in hoc cœtu reliquorum pace canatur
Sturmius, Alsatii celeberrima fama Lycæi.
Quo Rectore boni quicquid Schola continet ista,
(Continet ut multum) retinet: crescitq; subinde,
Viribus assurgens: crescenteſq; auget honores.

Excursus de Ioãne Sturmio Rectore Academiæ Argentinen.

Felix illa dies, læto quæ protulit ortu
Hunc olim, tantumq́, decus tantæ dedit Vrbi.
Hoc vivente viget Romanæ gloria linguæ:
Hoc moriente cadet forsan tua gloria Tulli.
Ipse licèt vita tu nunc fruereris & aura,
Vix melius posses scriptorum, credo, tuorum
Contentam variis virtutem ostendere formis.
Sic nervos, sic ille tuos monstrare lepores
Novit, & ad certas deducit cuncta figuras.
Sunt illi septem formæ præstantis Idææ,
Hermogenes docto peperit quas ante cerebro:
Hasce tuis, Cicero, scriptis mirè aptat, & illis
Artifici ingenio junctis te vestit, & ornat.
Nec minor hinc illi, quàm vel tibi fama parata est,
Nam valet eloquio, quod te vivente probasset
Roma, forumq́, simul, toto applaudente Theatro.
Audit multus eum cœtus juvenumq́, virorumq́,
Ioãnes Hermãnus Nidburgensis, peragratis Germaniæ, Italiæ, & Galliæ Academiis, in Academia Argentinensi fuit.
Audit turba frequens, arrectisq́, auribus haurit
Tincta Periclæo referentem verba lepore.
Ille meus frater, quem tot labentibus annis,
Sequana, & Eridanus, Nicer, Ister, Bregela, &
Erudiêre virum, linguas sex ore tenentem, (Albis
Hunc etiam audivit, facundo pectore multa
Scripta Oratorũ explanantem, & Rhetoras omnes.
Ac veluti quondam insignis fuit ille Senator

Stur-

Sturmius, Alſatiæ non tantùm gloria terræ
Maxima, nobilium decus at præluſtre virorum:
Sic minor haud illo, ingenua ſed nobilis arte,
Alter hic eſt, nulli facundæ munere linguæ,
Nulli Oratorum virtute vel arte ſecundus:
Ille prior dono ſermonis & ore diſertus,
Hic ſimul ore atq; arte valens: teſtantur ut huius
Docta per immenſum vulgata volumina mundũ:
Ambo animis, ambo inſignes virtutibus amplis.

Comparatio Senatoris cuiuſdã Sturmij, & Rectoris Scholæ.

Duret at in ſeram ne longa Oratio noctem,
Accipe poſtremam, Doctor Beutere, ſalutem:
Namq; tibi primo ſunt tradita frena Decano.

Michael Beuterus primus Decanus.

Cùm tibi nil ergo deſit, ſtudioſa juventus,
Quo poſſis animumq; tuum, mentemq; tenellam
Ornare, & caſtos vitæ ſuperaddere mores:
Dum datur, & licitum eſt, hos arripe juris honores,
Quos tibi, quos reliquis Cæſar miſit q; dedit q;.
Néve tibi pereant citò euntes turpiter anni,
Vtere conceſſo rectè, nec abutere jure.

Apoſtrophe ad ſtudioſos literarum.

Ecce locus ſtudiis noſtris quàm pulcher, & aptus:
Hîc domus, hîc patria eſt, Muſarũ & cõmoda ſedes,
In qua ſede ſedent Muſæ: Phœboq; monente
Interdum picti carpunt viridaria campi,
Imponuntq; ſuis fragrantia ſerta capillis.
Nonnunquam doctos pro ſertis texere verſus,

Opportunitas ſoli Argentinẽſi.

Assuescunt, pulchramq; adeunt per cõpita laurũ.

Amœnitas Vrbis Argentinensis.

Quis locus Occiduo jucundior extat in orbe,
Hoc? ubi vitiferos Rhenus præterfluit agros,
Cuius aquas supra rapidas longissimus est Pons.
Si cupis artificum antiquas cognoscere dextras,

Turris Argentiñ. septẽ miraculis mundi octauo loco annumeratur.

Aspicias Turrim, caput inter nubila Turris
Quæ condit, cernes mira qua mole sua stet.
Fundamenta solo premit hæc, sed in astra supremo
Vertice consurgit: nubesq; cacumine tangit.
Sin nemus, & lucos optas, nemoralibus umbris
Abditus esse potes, viridi exporrectus in herba.

Plasis.

Est Vrbe egressis lucus fluvialibus undis
Proximus, excultos ubi præterlabitur hortos
Cærulus Ellus, aquis, & largo pisce superbus.
Hîc ego dum grata recubabam nuper in umbra,
Condebamq; aliquos de consuetudine versus,
Incomperta mihi, mihi res audita nec antè
Accidit: huic breviter simul intexenda labori.

Chronographia de Synodo Aulũ.

Sol stetit in Tauro: & croceis Aurora quadrigis
Affulsit mundo: stellisq; Hyperione pulsis,
Me circum excelsi fumabant undiq; montes,
Et rore aspersa viridantia prata madebant.
Dum spacior solus nemoralibus abditus umbris,
Extemplò insolitis vacuæ concentibus auræ

Philomela

Insonuêre omnes: Nam cantum Daulias Ales

Inci-

Incipiens, niveo ſociam ſe junxit Olori, & Cygnus coniunctim Ioañē Sturmiū laudāt.
Neſtorium qui tunc Animum benè decantabat,
Nans in aquis liquide Elle tuis, ubi plurima creſcit
Lenta ſalix, multæq; ubi convenêre volucres:
Pulchro Neſtorius animus quas audit in horto. Anagrāmatiſmus Ioānis Sturmij.
Quæq; ſuo volucris cantu ſonat, & ferit auras
Diverſo clamore, & certat vincere quæq;.
Voce quidem & variis diverſæ cantibus omnes, Concordia Theologorum.
Relligione ſacra concordes attamen omnes.
Has ſuper, intendens vocem, divinaq; cantans, Ioānes Marbach Superintēdens Ecclesiarū Argentineñ. & Theologiæ Profeſſor.
Sub Tilia patria cecinit ſubtilia ſacra,
Turtur halopotamus, rerum cui cura ſacrarum.
Addit ſe comitem huic ſociarum turba piarum,
Halcyone medio genuit quas æquore natas,
Aſſuetas tumidi perferre pericula mundi:
(Ceu cincta eſt variis Eccleſia ſancta periclis)
Omnes hæ Chriſtum paſſim per amœna vireta,
Inſigni pietate & magna voce ſonabant,
Longa foret mora cunctas pauco includere verſu.
Pſittacus Auſoniis ales nutritus in oris, Ioānes Brunno Phyſices Profeſſor.
Qui quondam fuſca prunorum in fronde ſedebat,
Venerat huc etiam: ſed ſomno excuſſus ab alto,
Somnia commemorans naturæ arcana canebat.
Tu pia nec decoras Caſſita: & plurima legum Laurentius Tupius Legū Profeſſor.
Texta retexebas, elapſis vertice plumis.

Huc

Valentinus Erythræus.

Huc quoq; Erythræo per venit ab æquore Mergus,
Immergens ſeſe fontes ſcrutator in omnes,
Atq; aliis alias illuſtrans artibus artes.

Conradus Dasypodius Aſtronom.

Inde pedes leporis, Iovis ales, aptat ad alas,
Et gemino celer auxilio ſuper æthera fertur,
Ac plenis oculis Solem aſpicit, aſpicit aſtra.
At cavea in quadam reſidebat triſtior unus

Erneſtus Regius Profeſſor Ethicus.

Regulus: hic nullos edebat gutture cantus,
Aſt iterum atq; iterum repetens mœſto ore ſuſurrũ,
Tardius ungue admoto roſtrum preſſit aduncum,
Neſcio quam ſortem ſecum q; gemebat iniquam,
Et cantata prius nunc non cantata cupiſſet.
Heu miſer indictum quàm vellet poſſe reverti?
Quid facerent Corvi? ſi fas tibi, Regule, fari,
Cuncta tuum contra caput, inſignemq; volucrem,
Namq; Magiſtratum volucrũ reveretur & ordo:
Quem Deus inſtituit non eſt contemnere tutum.

Michael Beuterus Hiſtoricus.

Te tamen acta canens prima uſq; ab origine mundi,
Voce ſonans loculum, te conſolatur Acanthis:
Inq; tua ſtatione manes, & munere priſco.
Hæ volucres, multæq; aliæ, quas dicere longum,
His ita dum geſtis nemus altũ atq; aëra complent,

Plaſis alia.

Rurſus inauditis me circum cantibus omne
Inſonuit nemus: & ſubito ſplendore reſulſit.
Lætabar, Geniumq; meum, & cæleſte putabam

Numen

Numen adesse mihi, secessus inter amœnos.
Ecce novem genitæ Parnasi in vertice Musæ
Ante oculos venêre meos: sinus omnibus illis
Nudus, & à collo suspensum insigne monile,
Mnemosyne Mater quod ferre in pectore jussit.
Aurea cæsaries lauro intertexta vigebat;
Nudæ humeris omnes, niveis nudæq; lacertis.
At manuum junctura auratus circlus obibat.
Quà verò pectus se terminat, Insula pendet
Longa: verecundum quæ corpus contegit, usq; ad
Albiolos demissa pedes, taloſq; rotundos.
Non potui aspectu expleri: amplexuq; prehensæ
Cuilibet ausus eram castæ dare basia Divæ.
Reppulit audentem me quælibet: Et, Puer, inquit,
Parce novenarum faciem attrectare Dearum:
Sors tua mortalis: non est mortale, quod optas.
Sat tibi, nos faciles quòd habes in carmine Musas,
Quòdq; chori nostri Rector te ducit Apollo.
Adsumus ecce tuis conatibus, ingenioq;
Ecce tuo placido inspiramus amabile carmen.
Astat & ipse tibi (propius modò cerne, tuoſq;
Perstringentẽ oculos splendorem discute) Phœbus.
Vix ita desierant facundæ dicere Musæ,
Ante meam faciem, pulsa caligine mentis,
Stabat, odorata præcinctus tempora myrto,

Descriptio novem Musarum.

Prosopographia Apollinis.

Auratam geſtans pharetram de pectore Apollo,
Inq; humeris arcum: filis Teſtudo canoris
In læva dextraq; fuit: ſed pollice docto
Fila movens, varios dulci modulamine cantus
Edidit: undenas concordanſq; ordine chordas,
(Tot chordis priſca ætas, & non pluribus, uſa eſt)
Auſus erat fidibus volucres ſuperare canentes.
Parænesis Phœbi. *Mox ita: Quid juvenis luco ſpaciaris in iſto*
Solus? & hic tacitis quare ſeceſſibus erras?
An neſcis lætos peragi nunc undiq; plauſus,
Dũ nova rurſum oritur doctis Academia Muſis,
Quam Cæſar ſtatuit, quamq; ingens cura Senatus
Erigit, obtenti recitans Diplomata Iuris.
Quin age, vade celer, tanto gratare Lycæo,
Effundens hilari gratantia carmina voce.
Sic tibi ſemper eant larga bona carmina vena:
Sic tibi non duro ſint ſcripta poëmata verſu.
Dixerat, & tenues velut umbra receſſit in auras:
Atq; Chorum Aonidum iuſſit ſecum ire Dearum.
Agnovi ex arcu Phœbum, pharetraq; ſonante,
Imperio cuius ſacros parere Poëtas
Mos vetus eſt, vatum primo uſq; receptus ab æuo.
Ergo etiam promptus Phœbeis pareo juſſis.
Epilogus deſinens in Voto. *Salve jam toties laudata Academia, ſalve:*
Det Deus, hoc amplo quo nunc cumularis honore,

Stare

Stare diu ut possis, & seros sera nepotes
Aspicias, nomenq; tuum magis ac magis ornes.
Sunt tibi, sunt artes, triplicis cum munere linguæ,
His cresce, ac famam summis conatibus auge:
Hasq; docens, docta facias te prole parentem.
Non vacat hoc omnes tibi carmine dicere laudes:
Laudum plena manes: atq; est tibi fama superstes:
Et decus, & nomen, quod magnum pervolat orbem.
Augurat at si quid mea mens veriq;, boniq;,
Muniti fossis, vallatiq; aggere muri
Argentina tibi dum stabunt: celsaq; Turris
Stabit: & ingenuas bonus Ordo proteget artes:
Gloria, laus, decus, ornamentūq; Orbis & Urbis,
Stabunt æternùm. Nec erunt sine pondere vota hæc:
Tu modò, Christe, Urbem hanc rege: & hæc Academica Iura.

DIXI.

Distichon continens annum & diem institutæ Academiæ Argentinensis.

LVX saCra phILIppI IV Xtate eXorta IaCobe est, — 345
ArgentIna sVo Vt proMVLgat IVra LyCæo. — 1222
1567

DE LAPSV PRIMI HOMINIS,

ET HVMANI GENERIS PER FILIUM Dei, Mediatorem incarnatum, Redemptione, Oratio: olim in Academia Argentinensi publicè habita.

Propositio

ANnua mortales solenni gaudia ritu
Exequimur, meritoq; Deo renovamus honores:
Dum redit illa dies toto memorabilis orbe,
Nata panomphæi qua proles sancta Tonantis,
Præclusit nobis sedem reclusit Olympi.

Invocatio.

Alme Deus, pater alme, tui cunabula nati,
Lætior heroo dum conor pandere versu,
Huc ades, afflatuq; sacro mea dirige dicta.

Apostrophe ad auditores.

Vos verò pueri, pariter juvenesq;, senesq;,
Quotquot in hunc cœtum venistis, quotquot avetis
Salvifici sanctas Christi cognoscere cunas,
Eia agite, atq; meis animos advertite dictis.
Mira canam: sed vera canam, sancitaq; primo
Orbis in exortu; cùm lapsus nempe fuisset
Adam, primus homo: quem tristem tollere lapsum
Nemo hominum poterat: nemo, nisi solus & unus
Filius ipse Dei, cælo demissus ab alto,
Virginis intactæ gravidam qui venit in alvum:

Tantæ

Tantæ molis erat lapſam reparare ſalutem:
Hinc igitur canere incipio, hinc exordia duco.
Principiò antiquum chaos, & ſine nomine molẽ Narratio à creatione mundi.
Confuſam rerum, pulchrum diſtinxit in orbem
Omnipotens, terraſq; polo ſecrevit ab alto,
A terris & aquas, ab aquis abſtraxit & auras.
Hinc Solem, & Lunã, & ſtellas per inane micãtes, Opera ſex dierum.
Et lucem, & noctem certis decurrere iuſſit
Momentis, velutiq; datas excedere metas.
Tum varios magnæ telluri indulſit honores,
Telluri omniparæ, quæ ſummi ſeria patris
Juſſa ſui peragens, flores produxit & herbas
Multiplicis formæ, reptiliaq; omnia, & omne
Quadrupedũ genus: at mare magnũ, & mobilis aër,
Squamigerã gentem, & volucres genuêre volantes.
Hæc inter bona tot, mundi ornamenta q; tanta, Paradyſus.
Emicuit longè Paradyſi pulchrior hortus:
Nõn poterat quidquam pingi formoſius illo,
Quem variis opibus decoratum, & numine plenũ,
Dulciſono fluvii tres tranſivêre ſuſurro,
Inſignes omnes Oriente à Sole fluentes.
Illic cernere erat, variis animalia formis
Arborea recubare ſub umbra, atq; omnia miris
Luxuriare modis: cum Cerua cornibus ingens
Cervus erat: fulvum villoſa Læna Leonem

Fida ſequebatur comes: inde cuniculus antris
Viſus in effoſsis habitare: at Caprea in altis
Montibus errare: hinc Lepores, & odora Canũ vis
Veloci curſu celeres prævertere ventos.
Parte alia explicitis ales Iunonia pennis,
Altior extabat, greſſum meditata ſuperbum.
Inde aliæ volucres: prænuncia Veris hirundo,
Et Philomela canens æſtivis ſuaviter auris:
Pelicani natura. *Quiq; ſuis proprio dat vitam ſanguine pullis,*
Roſtro pectus edens, Ægyptius ales, adunco.
Phœnicis natura. *Tum ſenior Phœnix, qui ſcit ſe morte renaſci,*
Sponte ſua quando ſuppoſito ſe cremat igni:
Nec non populea reſidens ſuper arbore Turtur,
Qui ſemel amiſſa viduatus compare mœret,
Nec gemere aërea viduus diſiſtit ab ulmo,
Suſpirans caſti dulciſsima fœdera lecti.
Singula quid referam? Non talem pingat Apelles
Effigiem pulchram, variis animantibus auctam,
Qualis erat facies Paradyſi, qualis imago.
Homo conditus ut reliquis omnibus creatis dominetur. *Quæ poſtquam vidit rerũ Sator optima cuncta,*
Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ,
Quod regere imperio reliqua omnia condita poſſet,
Condere mox cepit: limo terræq; prehenſo,
Fiat homo, dixit: dictum res viva ſecuta eſt.
Homo ad imaginẽ Dei conditus. *Mente Deo ſimilis, noxaq; remotus ab omni*
Namq; homo ſurrexit: cui dum ſopor occupat artus,

Exerit

Exerit omnipotens (visu mirabile) costam,
Evæ materiam uxoris: quam vidit ut Adam, Evæ materia.
Carnem ex carne sua agnovitq; ex ossibus ossa,
Accipiens sociam vitæ, sociamq; laborum,
Corporis unius, quod virq; viragoq; præbent.
Soli ergo secum pulchro spaciantur in horto,
Pleni ambo pietate, expertes criminis ambo.
Providus interea Genitor, dum sensit inesse Serpentis calliditas.
Innumeros astus, variam Serpentis & artem,
Qua generi humano peccandi obtruderet ansam,
His dictis homines peramœno affatur in horto:
Omnia quæ toto florere videtis in orbe,
Quicquid habet tellus, quicquid mare, quicquid & aër,
Imperii vestri sint, & sint subdita vobis:
In medio ast horto pendentia ab arbore mala
Gustate haudquaquam: nam si gustabitis illa,
Morte perempti ambo Stygias intrabitis undas. Cõminatio
Accipite hæc animo, & mortalia linquite cuncta,
Nunc immortales: quin dulci conjugio ambo
Crescite, & innumeris replete nepotibus orbem. Conjugium.
Hæc effatus abit cælum sublimis in altum,
Arbitriumq; homini discernere fasq; nefasq; Liberũ arbitrium.
Liberum, in integra mentis ratione relinquit.
Fortè quis hîc fuerint Angui quæ callida quærat Artes Sathanæ cõtra hominem.
Facta: quibus summos homini detraxit honores?
Cernit ut hic Evam, disjuncto conjuge, solam,
Infremit, & laxas fraudum diffundit habenas,

Attollens ſq; iras, linguis micat ore triſulcis,
Cœrulus: irarum cauſas, ſævoſq; dolores
Mox animo revocat: manet alta mente repoſtum
Illud judicium, quo truſus ab æthere ſummo,
Nuper ad æternum cecidit damnatus Avernum.
Ergo dolens, torquens q; modis ſua pectora miris,
Implicuit ſeſe, multo curvamine, frondi:
Atq; ita: nūquid ab hac vobis Deus arbore fructus
Interdixit? ait, ne morte cadatis acerba?
Perſuaſio. *Vix teneo riſum: neq; enim diſcernere cuiquam*
A vicio rectum fas eſt, à luce tenebras,
Hos niſi guſtârit fructus, hæc dulcia poma.
Ergo age carpe, Eva, hac tam pulchra ex arbore fru-
Judicio hinc fies mox auctior, & mala diſces: (ctum,
Carpe, tibi pleno radient ut lumina viſu.
Eua decipitur. *Dixit: at Eva gravi ſubitò percuſſa timore,*
Pectore in ambiguo ſenſus huc voluit, & illuc.
Jamq; animo repetit cæleſtis juſſa parentis,
Atq; intus magno curarum fluctuat æſtu.
Nunc iterum roſeis paſcens ſua lumina pomis,
Aſpicit aſtutum confuſa mente Colubrum.
Atq; ita cunctando, dum verſat in omnia vultus,
Infelix, vetita frangens ex arbore malum,
Sumit, edit: præbet dilecto deinde marito.
Exclamatio. *O lugenda dies, & inelucta bile factum,*

Facti

Facti hominis: fuimus salvi: fuit optima rerum
Forma creatarum: ad Styga transiulit omnia diri
Dux Erebi, ut toto regnet ferus Anguis in orbe.
En dolor, en luctus, & plurima mortis imago
Exoritur, magnis resonatq; ululatibus æther.
Illic Eva dolens, multos sub corde dolores
Versat, & admotis plangit sua pectora pugnis.
Et jam nulla suo mallet gustasse palato
Mala, vel astutum nunquam vidisse Colubrum.
Fœmineis lachrymis lachrymas vir jungit obortas,
Mastaq; suffusis irrorans lumina guttis,
Suspirat, variisq; replet loca sola querelis.
Heu quantæ miseris clades mortalibus instant!
Tartareæ contra plaudunt frendentq; cohortes
Undiq;, lethæas sunt gaudia plurima ad undas.
Ipsa suum monstrans lethali cuspide telum
Mors stetit, & validis extendit brachia nervis,
Brachia queîs captam telum contorsit in Evam,
Ipse quoq;, infernos qui faucibus evomit ignes,
Stabat ovans dirus flammantis portitor Orci.
Magnus at in cælo luctus, peccante reperta
Conjuge, fit densus sanctum concursus ad hortum
Aligeræ turbæ: miratur cælica pubes
Horribilem lapsum: veri dat signa doloris
Cynthius, obscuro contristans lumine cælum.

Humana Mens in lapsu malè sibi conscia.

Diaboli super lapsu hominis lætantur.

Cælum & omnes Angeli contristãtur super lapsu hominis.

Æstuat ira Dei, spretæq; injuria vocis
Occursans, pœnas scelerato ex sanguine poscit.
Sathanas lapsos homines Iudicio Dei sistit.
Hei miseri mœsto nequicquam pectore sontes,
Anguineo Sathanas quos captos fune tenebat,
Nudi ambo corpus foliorum tegmine obumbrant,
Et stant, & secum submissis vocibus hiscunt:
Præsentisq; vident flagrantem Iudicis iram.
Iudicium divinum super lapsu hominis habitum.
Jamq; exornatur sancta gravitate Tribunal,
Ut possint Superi tantos cognoscere casus.
Hunc prope consessum stabant à parte sinistra
Insignes famulæ binæ, omni labe carentes,
Quatuor summæ virtutes in Deo.
JVSTICIA, atq; immoti ducens nomina VERI.
A dextra totidem præstanti corpore Divæ
Astabant, PAX, *&* *miti* MISERATIO *mente.*
Nec mora, per totum sunt facta silentia cælum.
Sathanas agit causam contra lapsum hominem.
Primus init causam nigri Instigator Averni,
Contemptor Superùm Sathanas, qui turbidus ore
Proruit, atq; vomens crebras è gutture flammas,
Ultrò animos tollit dictis, exclamat & ultrò.
Vos Superi, quorum æternum me glorior hostem,
Coram Iudicio vestro, (ceu cernitis) adsum,
Plenipotens missus, cunctorum nomine fratrum,
Ad vada qui Lethes cælorum oblivia potant.
Causam ago perspicuam, & nullius lucis egentem.
Sathanas fundamen-
Namq; hîc est mulier, quæ vestro numine spreto,

Gusta-

Gustavit vetitos fatali ex arbore fructus,
Arbore quæ certæ in se continet omina mortis.
Nec contenta uno fuit ausu: protinus ipsi
Mala voranda dedit muliebri fraude marito.
Quid superest ergo? nisi atroci ut cæde peracta,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam.
Exitus hic causæ est. Nec plura effatus, ad ipsos
Anguineo sontes respexit sune ligatos.

tum causæ suæ ex Præcepto Dei sumit.

Tunc Dea, quæ justa dispensat cuncta bilance,
Orsa gravi vultu, justas sic exprimit iras.
O quem siderei cœtus tremit omnis Olympi,
Rex Regum, nutu totum qui concutis orbem,
Justiciaq́ soles homines frænare superbos.
Te colit expassis alato in tergore pennis
Angelicus cœtus, celeriq́ per aëra lapsu
Jussa tibi promptus peragit: dextramq́ veretur
Juste tuam, ingenti quando concussa tremore
Subsultat tellus, refugitq́ exterritus orbis.
Nec tãtùm chorus Aligerûm, sed quicquid ubiq́ est,
Seu mentis compositq́ animi, seu sensibus orbum,
Te nomenq́ tuum pariter, numenq́ tremiscit;
Autoremq́ sui te Trinum agnoscit & Unum.
Solus homo, (infandum) sanctis se opponere jussis
Audet, & averso te spernens corde parentem,
Arrigit oblatas Serpentis vocibus aures.

IVSTITIÆ oratio contra lapsum hominem.

Cælum, Angeli, & Terra Deo obtemperant.

Solus homo contumax.

Exasperatio iræ contra lapsum hominem.

Te patrẽ, quem terra tremit, quemq; astra verentur,
Negligit: à quo hausit vitales luminis auras,
Immemor est huius: sese huic opponit, at Angui
Obsequitur, maliq; malo sese aggravat esu.

Argumẽtum ab officio Iudicis.

Justum justa decent. Si servantissimus æqui es,
Parce pio generi: sed debellato rebelles,
Ne tua Majestas populo ludatur ab omni:
Jamq; fac, ut letho pariter moriantur eodem
Fœmina, Virq; ejus: sic, sic decet hosce perire,
Seria siderei qui temnunt jussa Parentis.

Norma Iustitiæ.

Hæc effata, Deo Normam monstravit, ad illam
Facta hominum Iudex ut legibus exigat æquis.

VERITATIS oratio contra lapsum hominem.

Ecce sed immoti Dea quæ sibi conscia Veri est,
Surgit, & his onerat dictis atq; aggerat iras.
Vere Deus, qui vera probas, & falsa perosus,
Non tua verba auris, nec ventis irrita donas,
Verùm animo cõstans, & mente tenaciter hærens
Quod statuis, manet hoc fixũ, ac mutabile nunquã,

Deus Verus veritatis tenax.

Prolatumq; semel volat irrevocabile verbum.
Tu vitam, & multos vitæ promittis honores,
His, quibus est cordi jussis parêre paternis.
Tu mortem horrendam, pœnasq; minaris atroces
Omnibus, illicito quicunq; libidinis ausu
Ardent, inq; nefas prono raptantur amore.
Jamq; tuæ jubeat, Deus ô verissime, menti,

Seria

Seria vox, hominem qua ſancto affatus es ore:
Quem (ſi nulla foret dictorum huic cura tuorum)
Vox tua conſtituit crudeli perdere morte.
Vox tua vox vera eſt, verax nam ſolus haberis.
Quàm verò egregiam verborum habuêre tuorum Exaggerat vilipendium Præceptorũ Dei in homine.
Curam homines? quàm temagnũ & venerabile nu,
Pectoribus pavidis ſubmiſſa & mẽte verentur? (mẽ
Altera dum vetiti oblectatur fragmine fructus,
Alter, ab hac vana perſuaſus conjuge, malum
Devorat, & cæco mulieris captus amore,
Negligit æterni mandata timenda Parentis.
Quòd ſi vanus homo, leviorq; volantibus auris,
Quem prius ex omni feciſti parte beatum,
Alme Sator rerum, te non reveretur: at ultro
Vritur illicitis votis: tu maxime mundi
Conditor, inflatam pœnis compeſcito mentem.
Hoc tua vox, Genitor, præſcripto jure requirit.
Sic ſcelerum vindex: ſic compenſator es æqui, Admonitio ut Deus Iuſtitiæ & Veritatis ſuæ ſit memor.
Atq; Deus verax: ſic horum exempla duorum
Terrebunt reliquos, ſtygius quos circuit Anguis.
Si ſcelus admiſſum venia dignaberis ulla,
Vox tua vaneſcet: tua verba & ſæpius auræ
Plurima diſcerpent, & nubibus irrita mittent.
Verùm, ſumme Parens, juſta inflammatus ab ira, Veracis & Iuſti officium.
Nunc ades, & plagis hos exerceto rebelles,

Si Deus es verax, si Iudex justus haberis.

Deus in Iustitia & Veritate sua irascitur homini.

Talibus exarsit dictis violentia summi
Judicis, & Normam, Dea quã monstraverat antè
Justicia, extensurus erat, propterq; reatum
Damnatos homines toto excluſurus Olympo:

MISERICORDIÆ Oratio pro lapso homine.

Cùm Dea ab adversa quæ stabat parte Sororum,
Insignis bonitate, & miti prædita vultu,
Insurgens, justas irati Iudicis iras
Mitigat, & supplex divinum numen adorans,
Compellare Deum flexoq; ita poplite fari
Incipit: O mundi & magni fabricator Olympi,

Comparatio quatuor summarum Virtutum Dei inter se

Cuius habet nullum clementia maxima finem.
Qui justus, veraxq; Deus, vindexq; malorum,
Sed largus veniæ es: tua nam miseratio quosvis
Exuperat lapsus hominum: indulgentia summa
Clauditur haud ullo labentis temporis ævo.
Vera quidem, ah vera hæ nostræ dixêre Sorores,

Concessio criminis.

Teq; Deum justis irritavêre querelis.
Nam simul ac mens est cõmissum expendere crimen,
Horrendã & nunquam tolerandam reprobo culpã.
Sed mea me virtus, mea me miseratio mentis

Sublevatio criminis.

Vincit, ut abjectis pacato è pectore flammis
Discrucier, sortemq; reorum indigner iniquam.
Ah nimium Stygio nimium confisa Colubro,
Lapsa est infelix, pomoq; potita nefando

Famina,

Fœmina, te Patrem meritas accendit in iras,
Non levitate animi, nec ſenſu impulſa vaganti,
Aſt illuſa dolis, & mira fraude Colubri.
Perfacilis res eſt credentem ſæpe puellam
Fallere: multa fides muliebris ſexus ubiq; eſt
Ac facilis: credunt quia nil niſi credere poſſunt.
Et mala multa boni ſpeciem præbere videntur.
Quàm ſæpe externa falluntur lumina forma?
Ipſa etiam ſeſe virtus in crimina vertit,
Quando latet vicium recti ſub imagine & æqui.
Voce quid humana in toto eſt præſtantius orbe?
Si tamen in fraudem linguam quis ſolvat & ora,
Crimen vocis erit nunquam tolerabile crimen.
At quales aſtus Coluber quas fingat & artes,
Ut generi humano peccandi præbeat anſam,
Ex quo præcipiti lapſu dejectus ab alto
Æthere, flammantem mugitibus ivit ad Orcum,
Ille autor ſcelerum faſtuq; inſignis & aſtu,
Alme parens noſti: nam te noſſe omnia certum eſt.
Non igitur mirum dubiis ſi vocibus Vxor
Decepta eſt, pariterq; Virum ſeſeq; fefellit.
Noluit illa quidem: verùm haud deprendere fucũ
Verborum poterat: quid enim verſutius Angue?
Nec me dura movent noſtrarum verba Sororum,
Nempe hæc: nunc plagis hos exerceto rebelles,

Aſtutiſſimus credulũ muliebre genus circumvenit.

Argumentũ ab imbecillitate ſexus.

Ab exẽplis.

Multa mala ſpeciem habent boni.

Cauſæ cur Sathanas inſidietur homini.

Serpẽs Amphibologia uſus fuit.

Si

Repetitio argumẽtorũ Iustitiæ & Veritatis.

Si Deus es verax, si Iudex justus haberis.
Ergo tibi, Genitor, manet immutabile pectus?
Stat fixus furor, atq; igni violentior ira,
Hei miseros homines subjectis urere flammis
Suadet! quà stygii subsidunt ima Barathri?
Nec te lapsorum miseret? quæ talia fando,
Alme Parens, quæ nostrarum tam dura Sororum
Temperet à lachrymis? en luctu triste mihi cor
Deficit, & raro pulsat præcordia motu.

Refutatio argumentorum Iustitiæ & Veritatis Misericordia & Pax æquè in Deo sunt ac Iustitia & Veritas.

Si tibi stricta placent summi retinacula juris,
Teq; cupis dicta veracem ostendere voce,
Quò tibi amor nostri? quò pacis cessit amorq;?
Nos quoq; progenies tua: dio sanguine cretæ
Nos sumus, atq; tuo de numine nomen habemus.
Et tamen his precibus faciles non annuis aures?
Nil hominis miserere? mori sed deniq; cogis?
Corrige quin te ipsum, & propius res inspice cunctas.

Exemplũ à Libra Iustitiæ.

Nam si perpendes ipsam, Deus alme, bilancem
Justiciæ, invenies quod te convincere possit.
Res patet exemplo, & toti est notissima cælo.

Collatio Clementiæ in Deo & peccati in homine.

Gratia, lance una, tua sit: lanx altera gestet
Peccatum: hæc duo si librabis pondere, in altum
Peccatum levitate sua tolletur: ad imum
Tendet peccato quovis tua gratia major.
Quid furor ergo tuæ mentis? quid fulmina linguæ

Justi-

Iuſtitia efficient? Si crimine gratia major:
Longè major ut eſt, vel iniquo Iudice teſte.
Per lachrymas igitur Pater has, Verbumq; tuum te
(Quando aliter nequeo magnũ hũc auferre furorẽ)
Per Verbũ id, precor, immenſi quo machina mundi,
Mirando fabricata modo, primordia ſumſit,
Si tibi Pax cordi, ſi te Miſeratio tangit,
Alme Parens, miſerere animæ pereuntis, & iſtam
Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.
Plura loqui lachrymæ prohibent: tu maxime rerũ
Conditor, humanæ placidus miſereſcito culpæ.
Hæc effata genu curvato poplite flexit,
Suſpirans, largiſq; humectans imbribus ora.

Clementia Dei exuperat omne peccatum.

Obteſtatio per Mediatorem humani generis.

Petit ut Deus in Ira ſua Pacis et Miſericordiæ memor eſſe velit.

Pathos.

Stabat ſedato Dea Pax mitiſſima corde,
Dives opum, dives tranquillæ tempore pacis.
Hæc ubi perſenſit lenitam Iudicis iram,
At necdum unanimes Socias, quin ipſa Sororum
Pectora pectoribus contraria, ſenſibus ora
Vidit, pacifera ramum prætendit Olivæ,
Ocyus & tales effudit pectore voces.

Oratio PACIS pro lapſo homine.

Quid juvat, ô Genitor, tanto indulgere furori?
Iuris hic unde rigor? quæ mentem tanta laceſſit
Ira? graves pœnas flammato corde volutans?
Sicne tibi Patri viſum, ut furor, iraq; mentem
Præcipitent? hominesq; in aperta pericula mittãt?

Dehortatio à rigore Iuris & ira.

Hoc erat, alme Parens, hominẽ quòd creſcere multa
Prole jubes? plenum creſcente propagine mundum
Sic facis? ut miſeros Orci in penetralibus ambos
Vxorem q. Virum q. ſimul, gentem q. nepotum
Aſpiciam, infeſtæ confixam vulnere mortis?
Lugenteſq. animas lethæo in flumine cernam?
At memini humanis dum ſors fuit integra rebus,
Ira in Deo Pacẽ et Miſericordiam conjunctam habet.
Ante tuum ſolium Pacis quoq. vota valere:
Pax ſævos animi motus, iramq. vetabat,
Mulcebatq. tuos mitis Miſeratio vultus.
Hei mihi, num triſtem nunc hæc traxêre ruinam,
Vnius ob noxam, atq. infauſtum conjugis eſum?
Num caſu humano, Deus, implacabilis ardes?
Et gliſcens ira vitam cum ſanguine poſcis?
Verùm inhibeto minas, ſævum conpeſce furorem:
Summũ Ius ſumma injuria.
Singula ſi ſtricto trutines examine, dices,
Summo ſumma ſubeſt non rarò injuria Iuri.
Iudex moderatur rigorẽ Iuris.
Ergo rigor juris veluti lenitur ab æquo
Judice, ſic verum ſolus veri explicat autor,
Quiſq. verborum ſuorũ optimus interpres.
Et Legislator legum optimus eſt interpres.
Reſpice ad hæc Genitor: Si dicto immobilis hæres,
Atq. tenax veri es: cur eſt conceſſa voluntas
Libera facto homini? cur non ſuppreſſa malorum
Noticia? ut nunquam mala, ſed bona noſſe liceret?
Paraſceue
Judicio arcano ſed enim benè cuncta creaſti,

Ventu-

Venturisq; malis medicina ab origine prima
Extitit: hac lapsis, Genitor, succurrito rebus.
Si Verbo magni fabricata est machina mundi,
Verbo hominem lapsum cur non salvabis eodem?
Nullum aliud medium toto reperitur in orbe.
Ergo ades, & lapsam Verbo reparato salutem,
Si te Pax juvat, & si te Miseratio tangit.
Has inter voces, lites has inter, & acta,
Ecce potens Verbum, quod erat, cùm nulla fuissent
Secula, quodq; dedit mundo primordia facto,
Infert se medium: & Patris sic mitigat iras.
Me, me, (inquit) Pater alme, tibi me defero totũ,
Propter lapsum hominis tristẽ, nihil ille, nec ausus,
Nec voluit, cælum hoc, & conscia sidera testor.
Nam tantùm insidiis periuriq; arte Draconis,
Credula res mulier, cælo defecit ab alto,
Et secum humanum genus ima ad Tartara trusit.
Adsum, homines qui salvo, in me convertito pœnã,
Chare Pater, nullos fugio perferre dolores
Pro genere humano, & totius crimine mundi.
Quòd si nulla tuam vertat sententia mentem,
Persistatq; animus gentem delere creatam,
Hei mihi, quas clades, quæ prælia dira movebunt
Tartarei fratres? aderit crudelis ubiq;
Luctus, ubiq; dolor: sternentur corpora quævis

ad Mediatorẽ generis humani.

Per quod omnia condita sunt, per id homo restitui debet.

Filius Dei Logos Mediatorem se infert.

Mediator offert se Deo pro culpa generis humani.

Omnia in periculo, si homo non restituatur.

Obvia: nec meritas ſolo de corpore pœnas
Eva dabit: totum ſed enim Mors ſæva per orbem
Irruet: & tortis miſcens fera bella ſagittis,
Humano Stygios ſaturabit ſanguine manes.
Ne verò Genitor, ne talia volvito mente.
Homo Imago Dei non abolendus.
Si nihil ex toto nobis placet orbe relinqui,
Magne Parens, placeat tali ſub imagine noſtros
Spectari vultus: equidem juvat ora tueri
Hæc, Pater, & dulces audire & reddere voces.
Sed jam nulla mora eſt: Me, me, Pater optime,
Offero: cervici pœnas imponere noſtræ (totum
Mens jubet: & quãvis ſummus dolor iſte futurus,
Hunc patiar tamen: admiſſum ſcelus omne piabo:
Poſt victor Superis abluta labe revertar.
Mediator cum Patre & Spiritu Sancto pro homine fœdus init.
His dictis Verbum cum Patre, & Flamine ſacro
Fœdus init, nullo mundi quod deſinat ævo,
Ac lapſos homines jubet expectare ſalutem:
Tantùm infelices nimium dilexerat ambos.
Concordia ſummarum quatuor virtutum in Deo.
Protinus unanimi junguntur mente Sorores,
Quæ prius ambigua miſcebant prælia lite.
JVSTITIAM & VERVM excipiũt MISERATIO
Et ſibi in alternis amplexibus oſcula figunt, (PAXq.
Gaudentes litem Verbo mediante diremptam.
In Deo nulla eſt cõtrarietas.
At Deus ipſe ſibi quanquam contrarius eſſe
Noluit, & mortem ſua ſpreta ob juſſa poposcit,

Juſtitiæ

Juſtitiæ, Veriq; immoti haud immemor unquam,
Pax tamen, & Verbi acceſſu Miſeratio major
Obtinuêre locum. Cælum, inquit, teſtor, & alta — Deus non vult mortẽ peccatoris, ſed ut conuertatur & viuat.
Sidera, Vivorum vivus Deus eſſe quòd opto:
Vrgeo nec mortem: diſcant reſipiſcere, diſcant
Credere mortales: ſic lucrum in morte videbunt
Perpetuæ vitæ, quæ nullo deſinet ævo.
Tu ſed enim ſcelerum tantorum, & cauſa malorũ,
Plene malis Serpens, ſemperq; in utrumq; parate, — Maledictio Serpentis.
Seu verſare dolos, ſeu noſtra invertere dicta,
Sis Anguis poſthac terra maledictus in omni.
Pronus humi repes, & gramine lumina paſces,
Lubrica convolvens ſublato pectore terga.
Quin inimicitias inter te, peſſime, ponam, — Bellũ inter Serpentẽ & Semen mulieris.
Inter & Vxorem: cujus de ſemine ſemen
Teq;, tuumq; caput pede conculcabit utroq;.
Tu ſed & Vxor eris gravida infelicior alvo, — Dolores mulieris.
Et paries fœtus ſævis cruciatibus omnes.
Tuq; Vir in vario duces diſcrimine vitam, — Labores viri.
Atq; tibi victum in vultus ſudore parabis;
Terra quoad fias, de terra conditus idem.
Talia dicta dabat, ſubitò cùm flammeus Ales — Adam & Eua ejiciuntur ex Paradyſo.
Fulmineo miſeros mortales expulit enſe
Ejectos horto, exiliumq; in triſte fugatos.
His ſuper attonitus Sathanas fugit ocyor Euro, — Sathanas

accusato hominē amittit causam.

Atq; hominē lapsum accusatum in limine primo,
Judicio Superûm, decisa lite, relinquit.

Hominis labor & cōsolatio.

Pulsus at horto Adam, terram proscindere aratro
Cepit, & amissos deplorans mentis honores,
Quod reliquum fuit, immota spe credidit olim
Venturum Christum, qui noxam deleat omnem
Lapsi hominis, Stygiumq; triumphans conterat An-
Campo igitur Tabulas binas erexit: in illis (guē.

Vide Iosephum Flavium.

Mundi ortum, lapsumq; hominis descripsit, &
Venturum cælo promissum semen ab alto. (ipsum
Atq; has ad Tabulas (seu Templum) sæpe vocatos
Natos natorum, & qui nascebantur ab illis,
Edocuit Protoplastes, & sperare salutem

Adam non potuit videre Christū in carne.

Jussit in æterni venturo semine Verbi.
Fas tamen haud illi tanti natalia Verbi
Cernere; multa suæ licet egit secula vitæ.
Sex etenim lustra, & nongentos fortior annos
Egerat, & cunctis crescentem ut partibus orbem
Viderat, exiguo clausit sua membra sepulchro.
Néve hominis primos quisquam desideret ortus,
Posteritas posito in lapide hæc tria carmina scripsit,

Epitaphiū primi hominis.

Mole sub hac primi requiescunt ossa parentis,
Vno qui malo, mala præbuit omnia; at idem
Solamen reperit promissi in semine Christi.

Iudicia di-

O miranda Dei sapientia, mensq; profundis

Con-

Consiliis nitens: ô inscrutabile numen!
Namq; tot ingentes Adam transegerat annos,
Nec tamen Uxoris victricia semina vidit.
Cur, ô sancte Deus, dum magno victus amore,
Salvifico attollis lapsos sermone parentes,
Cur tuus in terras primo vivente parente
Non venit Natus? nec Verbum tunc caro factum?
Ecce Eva ut primum vix est enixa puellum,
Protinus abjectis pacato à pectore curis
Lætatur, gaudetq; suo dare basia nato,
Et velut exultans iam parto semine, sese
Possedisse refert hominemq;, Deumq; potentem,
Atq; hinc conveniens nomen dat habere Caino:
Fallitur at, votumq; suum spe frustrat inani.
Nam quater ingentes Sol mille peregerat annos
Orbis ab exortu, summo demissus Olympo
Christus ut in castam descendit Virginis alvum.
Ac velut è sicco interdum nova stipite planta
Prorut, & caules latè diffundit odoros:
Sic quoq; Iessæa jam jam radice labante,
Flos novus exoritur, qui totum compleat orbem
Germine salvifico, atq; amissas restituat res.
Et nunc illa dies agitur, qua Christus in Orbem
Venit, & è casta prognatus Virginis alvo,
Induit humanos (res admirabilis) artus.

divina inscrutabilia.

Eva cur primogenitum filium Cainum appellarit.

Cõparatio.

Christus ex radice Iessæa jam deficiente nascitur.

Natiuitas Christi omnibus gaudium affert.

Nemo

Nemo ergo ſileat: triſti ſuſpiria corde
Nemo trahat, volvatq; graves ſub pectore curas.
Aſpicis ut poſito lætetur quiſq; dolore,
Atq; Deo ob partam fundit pia vota ſalutem.
Aſpicis ut vario reſonent modulamina cantu,
Dum pia turba ornat ſancti cunabula Chriſti.

Magi ab Oriente duce præuia ſtella Chriſtũ petunt.

Ecce Magis, ortu à Solis venientibus, ultrò
Stella facem ducens nova, læto lumine fulſit;
Signavitq; viam; Chriſti ſignavit & ortus.
Illi iter emenſi, notæ advertuntur arenæ,
Et tandem Ætherei cernunt cunabula Nati.
Vtq; introgreſſis coram data copia fandi,

Magi triplicia dona Chriſto offerunt.

Suppliciter cũcti Myrrha, Auro, & Thure parati
Procũbunt, Chriſtum gaza venerantur & ampla.

Miſerrima conditio Chriſti nati.

Non tamen ille toro, non ille tapetibus altis
Extructus recubat, texti ſed tegmine lini
Implicitus, ſævæ media inter frigora Brumæ
Nequicquam ſtabulo vagitus edit aperto:
Nec tener in cunas, verùm in præſepe locatur.
Solamenq; mali nunc Matris ab ubere pendet,
Nunc jacet, in lenem dum claudat lumina ſomnũ.
Hei mihi qualis erat? quantum diverſus ab illis
Regibus? hoc toto qui nunc dominantur in orbe?
Et tamen hîc cunctis dominatur Regibus unus.
Scilicet hic Chriſto labor eſt, moleſq; malorum.

Amiſ-

Amissam ut nobis posset reparare salutem.
Vtq; illius erant non mundi Regna potentis,
Exiguum modico sed tectum cespite culmen,
Sic quoq; turba potens, vultuq; inflata superbo,
Respuit hunc, opibus mundi confisa paratis.
At miseri, quorum melior sententia menti,
Agnovêre Deum, cui plurima rustica turba
Gratatur nato: pueri castaq; puellæ
Sacra canunt, natumq; manu contingere gaudent.
Nox erat, & cælo splendebat Luna sereno,
Pastor ut excubias illa regione viarum
Egerat, & totum cautus servabat Ovile.
Candidus huic Ales cælo delapsus ab alto
Astitit, albentes rapidus qui moverat alas.
Qualis ubi tectis excita Columba sub altis
Evolat, & teneras alis diverberat auras.
Obstupuit magna timidus formidine Pastor,
Ille metum tollens roseo hæc superaddidit ore.
Vobis parta salus: vobis est natus Iesus,
Parvulus, immensas sed qui reget Orbis habenas:
Ite ergo, & mecum lætas sic promite voces.
Gloria sit summo cæli terræq; Parenti:
Aurea jam terras floreat pax q; per omnes:
Quando homini offertur facilis divina voluntas.
Dixerat, & parilus cælo se sustulit alis.

Regnum Christi non de hoc mundo.

Angelus apparet Pastoribus. Cõparatio.

Angelus annunciat Pastoribus gaudium magnum.

Protinus ad natum cursus detorquet Iesum
Pastor, & erecta ostentat sua gaudia dextra.
Bruta animalia lætãtur in nato Christo.
Ecce autem ut Christi accessit præsepe rudis Bos,
Lætior in vacuas mugitus edidit auras.
Quid loquar? ipse bovẽ sequitur dum pandus Asel-
Constitit, & rauco ingeminavit gutture plausum. (lus,
Scilicet est etiam sensus animalibus istis,
Læta suo Domino applaudunt animalia bruta.
Omnia in nato Christo gaudent.
Si tibi non sensus rerum natura negasset,
Tu Ludi paries doctus assuete Camœnis,
Lætitiam fundo nunc testareris ab imo.
Cur ita? namq; salus nobis hac luce parata est:
Hac natus Christus Stygiæ fera limina portæ
Rupit, & inferni disjecit claustra Barathri.
Solus Sathanas in nato Christo mœret.
Quiq; olim lætus lethæas ibat ad undas,
Anguineus Sathanas, totoq; fremebat in Orco:
Nunc idem ut sancti cernit natalia Christi,
Horret, & attonita quassat sua cornua fronte.
Cõparatio.
Non secus ac Cervus trajectus, corpore telum
Qui trahit: ast alia dum missas parte sagittas
Conspicit, immugit: trepiduq; repentè recurrit.
Vota ob Christũ natũ Deo reddenda.
Nos verò grato solvamus pectore grates
Æterno Patri, quòd cælo misit ab alto
Unigenam Natum, qui nostros induit artus,
Et dignatus homo est casta de Virgine nasci.

Filius

Filius iſte Dei pro noſtra vota ſalute
Fecit ab æterno: peccatum tranſtulit in ſe
Humani generis, noxam delevit & omnem,
Solvit & offenſo pro nobis delita Patri.
Ni puer hic eſſet ſummo demiſſus Olympo,
Omnis homo Infernos fuerat ruiturus in ignes.
Ergo uno talem celebrantes pectore Natum,
Stemus, & in cætu hoc grata ſic voce canamus.
Salve ſancte Puer, cæleſtis Nate Parentis:
Te naſcente omnis gaudet natura, ſuoſq;
Sepoſitis audet vultus attollere curis.
Tu nos Tartarei ereptos è faucibus Orci,
Ducis ad æthereas, cælis lætantibus, ædes:
In teq; uno omnis noſtræ ſtat gloria vitæ.
Salve iterum magni Proles divina Tonantis:
Unica noſtra ſalus. Stygium tu victor in Augue
Ibis, & hunc ſparſa extentum calcabis arena.

Vtilitas ex natiuitate Chriſti. Epilogus in voto cõmuni deſinens.

D I X I.

F 2. b. lin. 9. pro Virq; tuus, lege Virq; eius.

SEPVLTVRA CHRISTI,

Oratio: olim in Academia Argentinensi publicè habita.

Propositio.

HÆc est illa dies, hoc lamentabile tempus,
Quo Christus moriens irato lytra parenti
Solvit, & ob nostram sublatus morte salutem,
Innocuo patrias respersit sanguine terras.
Hoc tempus cuncti justo veneremur honore,
Sævaq; salvifici meditemur vulnera Christi.
Vulnera nimirum, quæ circum plurima campos
Accepit Solymos, & ligno fixus in alto,
Edidit hanc tristem miseranda voce querelam,
Me, me ergo Deus, alme Deus, me deseris ultrò.
Heu magnum me Musa jubet renovare dolorem,
Ut sanctos artus, & Christi innoxia membra
Nostra trucidârit labes, & nostra cruentis
Facta repræsentans plagis Iudæa caterva,
Quæ passim, hinc atq; hinc, toto nunc orbe vagatur.
Sed si tantus amor menti, si tanta cupido,
Nunc breviter Christi supremum efferre laborem,
(Quãquã animũ dolor altus habet, luctuq; fatiscit)

Invocatio.

Ordiar. O nostros præsens nunc dirige gressus,
Sancte Deus, sacroq; afflatu accende meum cor.
Tu mihi quodcunq; hoc doctrinæ, tu mihi vires

Suffi-

Sufficis, & tu das molles me ſcribere verſus.
Eia igitur noſtris nunc te conatibus infer,
Et præſens dubiæ Rector rege vela carinæ.
Juſta peto, tu juſta ſoles præſtare petenti.
Fortè relaxabat feſſas nox humida mentes, Narratio.
Aſtraq́ in obſcura latitabant abdita nube,
Chriſtus oliviferi quæſivit ut avia montis, Chriſtus oraturus montem oliveti petit.
Agmine cum ſocio ſupplex ad vota paratus.
Ergo ubi vix palmas conjunctim ſuſtulit ambas,
Incidit in nudam duplicato poplite terram,
Crebraq́ dum traxit miſtis ſuſpiria votis,
Olli ſanguineus prorupit corpore ſudor, Chriſtus orans ſudorem ſanguineum emittit.
Et gutta effuſo ſtillans ſudore vaporat.
Non tales manant mortali è corpore guttæ,
Æger anhelantes cùm quaſſat Spiritus artus,
Sive ubi mens ſenſim interno mœrore liqueſcit,
Et micat & crebro cor intus tunditur ictu,
Dum trepidus coit, & ſurſum formidine fertur,
Rimaturq́ poros pulſans præcordia ſanguis: Sudor Chriſti ſanguineus an naturalis.
Sudor erat cauſis propè naturalibus impar.
Namq́ haud placati memorem Genitoris ob iram,
Spemq́ metumq́ inter, pleno ſingultibus ore,
Dum luctantem animam lethi in diſcrimine torſit,
Heu guttæ in terram Chriſto effluxêre cruentæ:
Quas ſolidæ vires, diumq́ in corpore robur,

Non fractum, aut noſtræ labefactum crimine culpæ,
Elicuit, membris extorſumq́ egit ab imis.
Aſſit ita dum Dominus lucta deſudat acerba,
Securi rerum, & fuſi per gramina ſervi
Sternuntur, & ſomnium ſublatis naribus efflant.
Chriſtus reprehēdit diſcipulos ſuos dormientes.
Quos ubi ſopitos, altaq́ quietè ſepultos
Viderat, his Chriſtus dictis ſic increpat ultrò.
Non dormire pios, non indulgère ſopori,
Sed vigilare decet, ſed ſeria fundere vota,
Ignavi ſocii, curis precibuſq́ ſoluti.
Orate, & voſmet magnis ſervate periclis.
Chriſtus iterū orat, & quaſi cum morte luctatur.
Dixit: & ut paulum rurſus diſceſſit ab illis,
Labitur, ac toto proſtratus corpore, pronam
Semianimis faciem terra verſabat in uda.
Jamq́ illi cunctæ procumbunt ordine vires,
Mobilis arentem malè tangit lingua palatum,
Siccantur fauces, vixq́ eſt via vocis in illis:
Quin etiam ſanctos ſpargit ſine lege capillos.
Heu quàm difficile eſt primæ contagia noxæ
Tollere, & offenſum nobis placare Parentem!
Angelus apparet Chriſto & reficit eum.
Ecce ſed ætherea delabitur Ales ab arce,
Inſtauratq́ animos Chriſto, viresq́ ſecundas
Sufficit, & liquidas erectum attollit in auras.
Altis ad nutus oculos in agone gravatos
Attollens Chriſtus, raris ita vocibus hiſcit.

Sum-

Summe pater, precibus nati si flecteris ullis,
Si non fata obstant, sed enim mihi prona voluntas
Est tua, si facilem nato non subtrahis aurem,
Annue, nec calicem durus mihi trade bibendum.
Quòd si nulla tuam mutat miseratio mentem,
Statq; animo natum casus detrudere in omnes,
Cedo equidem Genitor: nec me vis ulla gravabit,
Namq; dabis tandem finem, Pater alme, laborum.
Non igitur mea sed fiat tua sancta voluntas.
Talibus orabat dictis, sociosq; jacentes
Vidit adhuc altum profiare è pectore somnum,
Ergo dolet, dictis illos affatur & istis.
Dormite ignavi: vestro indulgete sopori:
Namq; id tempus adest, & ineluctabilis hora,
Nimirum humana qua filius ortus ab alvo,
Labe reus nulla, at cujusvis criminis expers,
Traditur innumeris peccati mole gravatis.
Vix ea finivit, vix presso defuit ore,
Proditor en Judas, sceleratis prævius ausis,
Emicat ante alios, cui fulvo plena metallo
Pera fuit, magnam scelerum quæ præbuit ansam,
Perfidus hic etenim fas omne abrupit, & ipsi
Oscula dum præbet Christo, mox improbus ore,
Salve frater, ait: salveto Magister. At illi
Mox Christus, (simulata ut sensit voce locutum)

Discipuli Christi iterum dormiunt.

Christus insons in manus peccatorum traditur.

Judas proditor.

Judas osculo Christum prodit.

Sic

Sicne hominis natus, Iuda, tibi proditur insons?
Traditur & sævæ simulata per oscula turbæ?
Christus Iudam admonet. *Tempus erit, Iuda, magno cùm optaveris emtum*
Me rursus: sunt fata tibi, sunt tristia fata,
Exitus & tristis, qualem decet esse malorum.
Heu quantò melius vitalem luminis auram
Te nunquam vidisse foret! stat janua lethi
Jam recluſa tibi, Ditisq; immane Barathrum.
Hactenus: at cernens Iudæam astare cohortem,
Obvius egressus, coràm quem quæritis adsum,
Dixit: at his surſum surgunt horrore capilli:
Vera loquor, metuunt omnes retroq; recurrunt.
At postquam rursus voces iterare priores
Ceperat, & simili fuerat sermone locutus:
Christus capitur. *Ecce propinquabant tandem, captumq; tenebant,*
Prensantes sanctos dextris immitibus artus.
Cõparatio. *Ac velut in sylvis atq; inter opaca viarum,*
Sicubi sit captus spoliantibus hostis in armis,
Hunc ducũt cuncti, mortemq; minantur acerbam:
Non aliter Christus trahitur, mediumq; per agmen
Ducitur, armata circum assultante caterva.
Petrus Malchi aurem amputat. *Dumq; ita Marte fremunt omnes, Christũq; fatigãt,*
Non tulit hãc speciẽ cordato pectore Petrus,
Attollensq; animos, audaci fulminat ore,
Fulminat, eductoq; aurem Malchi amputat ense.

Christus

Christus at objurgans Petrum, servíq; misertus
Tollit humo auriculam, divinaq; applicat arte:
Nam coit in sese obducto mox vulnere sanguis,
Nullaq; erat dextrum per tempus visa cicatrix.
At mentem necdum factis explevit iniquis Christus vinctus ducitur.
Turba furens, toto & jam Christū corpore sessum
Huc trahit atq; illuc, factoq; è canale fune,
Implicat & sanctos vincit crudeliter artus.
Undiq; lædendi studio recutita caterva
Certatim accurrens, & verba & verbera capto
Ingeminat Christo: sola est vim inferre voluptas.
Ille manus ambas (heu) post terga revinctus
Tendit, Ovi similis, villoso tergore tractam, Cōparatio.
Quam Pastor ferro accelerat tondere lidenti:
Illa necem metuens balatibus aëra replet
Nequicquam, sequiturq; virum non passibus æquis.
Quis furor ô populi? quæ tanta insania vobis? Apostrophe ad Iudæos, cum commiseratione.
Creditis hunc hostem? vel creditis hunc latronem?
Creditis aut furem? fures ita ducere mos est.
Ne verò, ne sic ter magnum ducite Regem,
Sed magis illius replicatos solvite nodos,
Solvite: adhuc vestras audetis promere vires?
Ni Christo palmas vinclis religabitis ambas, Correctio comminationis.
Vos ego. Sed præstat tantos perferre dolores
Te Iesv, ut nostram possis extinguere labem.

Christus totius humani generis causa patitur.

Nos tibi tantorum, nos, nos tibi Christe malorum
Causa sumus: nostros hæc pœna manere parentes
Debebat, morsu quam commeruêre nefando.
Sed si sævus amor te nostra abstergere suadet
Crimina, & humanæ tangit te cura salutis,
Quò Pater, & quò te tua sors vocat, i bone Christe,
Moxq; redi nobis populato victor Averno.

Discipuli Christi fugiunt.

Ecce autem ut partes nunc has, nunc rursus in illas,
Gens inimica rapit Christū, sævitq; furendo,
Diffugiunt ejus comites, captumq; relinquunt:
Ipse quoq; è longo sequitur Petrus intervallo,
Quiq; fidem dictis astringens sæpè superbis,
Primus in adversos ensem modò strinxerat hostes,
Ac se participem casus sociârat in omnes,
Deserit ille suum media inter tela Magistrum.
Tempore sic duro fidus mutatur amicus.

Christus primùm ad Hannā ducitur: deinde ad Caipham.

Parva mora, & cunctæ gliscit violentia turbæ,
Et magis atq; magis furiali accenditur ira,
Armataq; manu Christum genua ægra trahentem
Protrahit, atq; amplas Hannæ deducit ad ædes.
Nam siquidem fuerat Caiphæ Socer, ergo dabatur
Olli primus honos: ita morem fecerat ætas.
Non tamen is Christum longo sermone moratur,
Sed genero Caiphæ tota cum plebe remittit.

Prosopographia

Hic Præses niveâ velârat tempora vitta,

Et

Et nunc huc vultum, nunc rursus jecerat illuc,
Traxerat interdum propexam ad pectora barbam:
Tandem his adductum dictis compellat Iesum:
Qui squis es ingratas hinc jam deponito curas,
Hæcq; mihi posito nunc pauca effare timore.
Tune Dei Soboles? cælo tu missus ab alto?
Regũ aliquid num stirpis habes, & noster eris Rex?
Ille nihil primùm. Sed tandem hæc pauca profatur:
Quid memorẽ genus? aut dios tibi sanguinis ortus?
Capto nulla fides: populusq; hic omnibus urget
Viribus, ut diro possit me obtrudere letho.
Si tamen est ardor stirpem cognoscere nostram,
Dicam equidem, neq; me cælesti è sede negabo:
Sum Deus, æterni Proles æterna Parentis.
Nec pudor est, quem summa tremũt, quẽq; ima ve-
Hunc sese Regem Iudææ dicere gentis. (rentur,
His ita responsis sermonem abrupit: & ecce
Præsidis ad puteal miles stetit, atq; feroci
Increpuit vultu, Christoq; ita turbidus inquit:
Tantane te tenet ætherei fiducia Patris,
Pontifici ut tales opponas, improbe, voces?
Haud impunè feres: dixit, dextramq; tetendit,
Infringens Christo colaphũ, quem plurimus hostis
Auduit. Heu sanctæ rubuêrunt verbere malæ!
Nec satis hoc fuerat: collectam è fauce salivam

Hannæ, & ejus sermo ad Christũ.

Responsum Christi ad Caipham.

Miles Christo colaphũ infringit & faciem eiusdẽ cõspuit.

Expuit in faciem Christi, sputoq; nefando
Ora Dei fœdat, frontisq; incestat honorem.
O facinus nullis unquam delebile seclis!
Vapulat injecta squalletq; hærente saliva
Commiseratio. *Os illud roseum, cœlesti numine plenum,*
Per quod sensa sua eloquitur Pater, altaq; cujus
Condita sunt verbo revoluti sidera cœli,
Per quod ob humanam funduntur vota salutem.
Sicne Dei Gnatum? Dominum tractare potentem
Quem mare, quem tellus, quem Regem agnoscit &
Sicne decet? casta qui postquã venit ab alvo, (æther,
Crevit, & hos nostros assumsit corporis artus,
Infera Tartarei rupturus clausira Barathri.
Nox captivitatis Christi frigidissimæ. *Ecce sed ut sicca Boreas prorupit ab Arcto*
Frigidus, astanteq; afflavit turbine turbas,
Pars stetit, atq; ori palmas admovit utraq;,
Ductus ut ex anima tepidas daret halitus auras.
Multi deinde manus alternaq; brachia jactant,
Obvia pellentes animosi flamina venti,
Inq; sinum palmas, sub brachiaq; ipsa recondunt.
At alii potius correpta dura securi
Lignaq; diffindunt, flammisq; alimenta ministrãt.
Aggestisq; foco frondosis quercubus, ipsi
Stant circum, gratosq; calescunt ignis ad æstus.
Petrus ad *Protinus huc gressus impulsu frigoris affert.*

Rupe

Rupe trahens nomen Petrus: quem ſævus adegit ignem accedit.
Ventus ad ardentes Vulcani currere tædas.
Hic dum fortè ſtetit, calidos excepit & ignes,
Ecce puella venit Domini cui janua curæ,
Et breviter: Socius Galilæi tu quoq; Chriſti
Vnus eras, noſtræ nam te vidêre cohortes:
Abnegat ille ſuum famula quærente Magiſtrum. Petrus ter abnegat Chriſtum.
Altera deinde ſubit voceſq; ancilla priores
Integrat, è Petro certans extundere verum:
Abnegat ille ſuum rurſus quæſitus amicum.
Fortè fuit juxtà ſervus cognatus & illi,
Cui prius auris erat ſtricto mucrone reciſa:
Hic graviter commotus, eum ſic durius angit.
Nonne ego te vidi cum Chriſto peßime? nonne
Ceſpitis in viridi recubabas gramine? quando
Chriſtus vota ſuo fecit ſuprema Parenti.
Isq; ubi jam fuerat medios illapſus in hoſtes,
Tu procul aufugiens exeſa in rupe latebas:
Adde quòd ora ſono nobis diſcordia ſignas.
Extimuit Petrus, indiciis expalluit iſtis,
Teſtatuſq; Dei nunquam violabile numen,
Abnegat, in nugiſq; & verbis perſtat iiſdem.
Tum verò manifeſta fides, Petriq; pateſcunt
Occultata diu tumidis mendacia verbis.
Ter mentitus erat, ſubito cùm fortè fragore

Elatus pennis, rubra cristaq; decorus,
Præcinuit lucem nocturnis Gallus in umbris.
Gallus ut Auroræ præbebat signa futuræ,
Petrus memor verborum Christi abnegationem suã deflet.
Ipse memor Christi verborum Petrus, & ipsa
Conscia mens sceleris premit altum corde dolorem,
Atq; intus tecta mordet præcordia culpa.
Respicit à tergo mœrentem Christus: at ille
Egreditur q; foràs, lacrymisq; per ora profusis,
Triste gemit, salsoq; genas rigat imbre madentes.
Jam sed ubi pulsis surgebat Lucifer umbris,
Signabatq; diem, exorti sub lumina Solis,
Consilia inter se infandis de rebus habentes
Pontifices, Christo lethum crudele parabant.
Iudas agnoscens scelus suum, cum conscientia sua cõflictatur.
Hîc nova mutato surgit sententia Judæ,
Nam dolet, & Christi sortem nunc deflet iniquam:
Et jam mallet eum simulato haud prodere vultu.
Quid faciat, nescit: turgentem q; ære crumenam
Projicit in medium, ac desperans talia fatur.
Sumite Judæi malè partas sumite gazas:
Vestrum hoc argentum cunctorum causa malorũ,
Ansaq; qua Domini cruor est mihi proditus insons.
Malè sibi conscius omnia metuit.
Heu quæ me miserũ latebræ? quæ terra? quod æquor
Accipiet? quid nunc infelix deniq; sperem?
Cui neq; apud Christum tutus locus: insuper ipse
Dux Erebi atroces nostro de corpore pœnas

Exu-

Exuvias q; petit: triplices en aſpice Diras.
Hem quid agam? quibus aut ſaltē me montibus ab-
An lateam ſylvis inter ſpelæa, feraſq;? (dam?
An Chriſto occurram ſupplex veniamq; precabor? Conſcientia
Non auſim: ſiquidem pudor hoc, timor impedit il- mala nō fa-
O mea ſi nunquam gravida geſtaſſet in alvo (lud. cilè ſeſe con
Me mater, quaſvis vel me jeciſſet in undas: ſolari po-
Aut mea ſuxiſſent viroſas labra mamillas: teſt.
Tunc ego vel primo periiſſem parvus in ævo,
Nec tantos ſtulto peperiſſem corde tumultus.
Non hominem pravum, famæ aut melioris egentē,
Ipſe Dei Gnatum furiata mente fefelli.
Nempe fefelli illum, cujus pietaſq;, fideſq;
Nota fuit cunctis, quo non fuit æquior alter,
Sive fidem, ſeu quis vitam ſpectārit honeſtam.
Hæc ita queſtus erat, medio cùm venit ab Orco Iudas deſpe-
Infelix monſtrum, cui DESPERATIO *nomen:* rare inci-
Pallida cui macies tremebundos occupat artus, pit.
Vox rara, & preſſo quæ tantùm obmurmurat ore. Deſcriptio
Neſcia mens recti ſacri ſolamina verbi Deſperati-
Reſpuit, & dictis ſolari non cupit ullis. onis.
Centum illi aſtantes famulæ cæleſtia Vatum
Scripta revolvebant, ſceleris veniamq; canebant:
Illa tamen tacito tundens præcordia morſu,
Solari nequit, & perverſa voce repugnans,

Pecca-

Ex bibl. univ. Dorp.

Peccati veniam nulli putat esse maligno.

Iudas desperabũdus Diis se deuouit.

Hæc Dea fœda animum miseri dum terret Iudæ,
Inspiratq́ nocens virus, spargitq́ venenum,
Ille stat, & nescit quid nunc faciatúe, petatúe.
Tollite me Furiæ, quocunq́ absumite letho,
Clamat, & hanc animam vasto submergite Ponto.
Aut tu terra meos absorbe protinus artus:
Sic merui, tali dignum me sentio pœna.
Nil miserere mei? Sed adhuc me viuere cogis?
Ipse mihi mortem consciscam: haud multa locutus,
Arripit oblongum tereti de canabe restem,
(Heu mihi quàm tristes quæsitus restis in usus!)

Iudas laqueo se strangulat.

Hunc plicat, hunc ligno innexum demittit ab alto,
Supremùm & loquitur: Iudas morietur inultus?
Non ita, sed Stygios ibit moriturus ad hostes,
Crimen ob admissum: sic, sic pereatq́ cadatq́:
Pendeat, & coruis gratas det biantibus escas,
Aut saturet fœdo damnatos sanguine Manes:
Tali, non alio decet hunc occumbere letho.
Hoc dicens restem collo tenus implicat omnem,
Et nodo fauces elisaq́ guttura frangit.

Iudas suspensus rumpitur.

Hæc finis Iudæ fatorum, hac exitus illum
Morte tulit, (visu horrendũ) trabe pendet ab alta,
Ac sceleratam animam ruptus media ejicit aluo.
Quem simul ac tali persensit morte perire,

Arbi-

Arbiter inferni, præda gaviſus opima, Sathanas cũ Furiis ſuis de Iudæ miſerabili exitu lætatur.
Turbidus ingreditur, Furiarumq́ agmine cinctus,
Per medias auras graditur, neq́ cernitur ulli.
Vtq́ propinquabat Iudæ, functumq́ videbat
Pendentem, & curva ligni ſub fronde trementem,
Conſtitit, & riſit. quoniam miſerabile vidit.
Mox ait. Ex Chriſti nullum mihi funere lucrum
Dum datur, at vaſtã hinc metuunt mea regna rui-
Tu nunc infelix anima ceu corpore pœnas (nam,
Deſperate dabis dignas: ſimul unguibus uncis
Pendentem, & magna funis cum parte revulſum Deſperantium pœna.
Abripit, ac tradit Furiis: quæ deinde repentè
Proſiluêre citis pedibus, Stygiamq́ paludem,
Stagnaq́ Tartareæ petiêre liquentia ripæ.
Hîc animam Iudæ mediis in faucibus Orci
Exercent, piceiſq́ propinant pocula lymphis.
Aſt ea compedibus duriſq́ incluſa catenis
Ejulat, inferniſq́ miſerrima clamat in umbris:
DISCITE IVSTITIAM *moniti, & non prodere Chri-* Admonitione quiſquam de gratia Dei deſperet.
Diſcite peccati veniam ſperare dolendo, (ſtum.
Diſcite mortales melius confidere Chriſto,
Cujus magna omnem ſuperat clementia noxam.
Namq́ mihi miſeræ ſi mens non læva fuiſſet,
Auſaq́ delicti veniam ſperare fuiſſet,
Non hæc tanta meas cruciaret flamma medullas:

O nimium populo & gazæ confisus opimæ,
Nudus in æterno Iudas cruciabor Averno.
Ecce autem ingenti fremit impia turba tumultu,
Poscit & è sancto crudeles sanguine pœnas,
Castigatq; moras longis ambagibus actas.
Christus ad Pilatum ducitur. *Ergo iterum nodis, vinclis constrictus & arctis,*
Ipse Dei Gnatus, mactandi more juvenci,
Pertrahitur rursum Pilati ad triste tribunal.
Ocyus hic illum solio sublimis ab alto,
Pilatus Christum interrogat unde sit ortus. *Quod ducat de patre genus, num dia propago*
Numine de dio sata sit scitarier ardet.
Christus ad hæc, humili demittens lumina vultu,
Sum Deus, utq; refers, æterni æterna parentis
Progenies, nullum quæ finem novit & ortum.
Pontius hunc alia Pilatus voce rogatum
Detinet, & dictis ultrò sic pluribus instat.
Si Deus es verus, nulla tu labe notari
Iure potes, quòd si Rex æthere missus ab alto es,
Cur ita te vinctum nostræ adduxêre cohortes?
Teq; reum (ut perhibent) magno clamore lacessunt?
Ipse viros cernis, qui quàm te atrociter angant,
Exposcantq; tuam crudeli funere mortem,
Non opus est fari: glomeratas aspice turbas,
Quæ tete accusant: & ni mea cura resistat,
Jam dudum manes cecidisses fortè sub imos.

Impe-

Imperium verò noſtrum hoc: & ſumma poteſtas
Me penes eſt unum, tota hæc quoq; turba, viriq;,
Me ſine non audent ulla te perdere morte.
Ergo age dum dubito te dio ſanguine cretum,
Si Deus es, noſtros curarum diſcute fluctus.
Olli autem miti reſpondens pectore Chriſtus, Reſponſum Chriſti.
Pro re pauca refert. Non me hæc oratio, Ponti,
Terret, non animo mens eſt mihi fracta minaci.
Si mea regna forent ſtulto confinia mundo, Chriſti Regnum nõ de hoc mundo.
Tunc ego fortè etiam magna ſtipante caterva
Ingrederer, vano tumidus præcordia regno.
Sin fugienda mihi mors eſſet, cominus ipſi
Angelici pro me certarent undiq; cœtus.
Sunt Patri vires: ſunt neſcia cedere cuiquam
Agmina: ſunt animi, belloq; invicta juventus.
Senſerat hoc olim calo detruſus ab alto
Maximus ille Draco, ſed tunc non maximus ille.
Ergo quam pro me curam geris, hanc quoq; pro me
Deponas, lethumq; ſinas crudele ſubire.
Nam, Pilate, in me nil tu quoq; juris haberes,
Ni tibi de cælis eſſet conceſſa poteſtas.
Cauſa tua eſt melior: qui me tibi tradidit, ejus
Peccatum gravius manet, æternumq; manebit.
Nunc me fata vocant, patriſq; immota voluntas,
Et ſuperanda mihi quævis fortuna ferendo eſt.

Pilatus cogitat liberare Christum.

Continuò Præses cura sit saucius alta,
Et Christi placido victus sermone labascit.
Ac quoties illum cernit, dimittere vivum
Expetit, at causas nequicquam nectit inanes:
Dumq; ita cunctatur subito venit obvia gressu
Fœmina, Pilato tum fœdere juncta jugali:
Hæc ita conceptas auget sub pectore curas.
Chare vir, atq; animæ conjux pars altera nostræ,
Ospes, & sociæ requies dulcissima vitæ,

Vxor Pilati dehortatur maritum à cæde Christi.

Has ego per lacrymas, per nostra hæc pignora lecti,
(Pignoraq; ostendit) per tædæ jura jugalis
Obsecro, ne Christi infandate pollue cæde:
Justus ut est, ah sic nulli est pietate secundus.
Fabor vera tibi: Media dum nocte sub umbris
Decubui, & clausis somnus subrepsit ocellis,
Passa hunc ob justum sum multa, heu tristia passa.
Ergo si quis amor nostri, si cura, marite,
Abstineas, sævæ nec tu subscribito turbæ:
Gaudebis minus, & minus idem fortè dolebis.
Protinus ingenti curarum pondere Præses
Fluctuat, & populo falsas jactante querelas
Dimovet, ut vivum possit dimittere Christum.
Hîc verò exoritur rumor, clamorq; malorum,
Qui Christum affirmant digna atq; indigna relatu
Sparsisse, ut quondam Galilæis vixit in oris.

Hero.

Herodi idcirco (namq; illis fortè diebus
Adfuerat) tanquam Galilæum dat Galilæo.
Hic Christi magno visendi captus amore,
Gaudet, & ora modis attollit turgida miris.
Multa viri siquidem virtus, & multa patebant
Magnis declarata prius miracula factis.
At crebris vicibus, vario & sermone rogatus,
Nil retulit Christus, votumq; Herodis inane
Eludens, tacito ne verbum protulit ore.
Ergo ubi nulla datur miracla videre potestas,
Despicit Herodes Christum, spretumq; remittit
Pontifici, niveæ velatum vestis amictu.
Pontius at veteris servans fomenta doloris,
Ingemit, & Christi vultu ad suspiria ducto,
Nunc iterum curis animum mordacibus implet.
Annua at instabat jam lux, qua mittere captum
Moris erat populo, si quis vel latro, vel hostis
Urbe furens aliquos peperisset cæde tumultus.
Morem porrò alium Caiphas quoq; fecerat esse,
Unus homo ut moriens populi commissa piaret.
Tunc Barabas longè ante alios sceleratior omnes,
Mentis inops magna dum fortè cupidine ferri
Sævit, & stricto cædem mucrone peregit,
Captus in occluso residebat carcere latro.
Hunc igitur sontem atq; enormi labe notatum,

Pilatus mittit Christũ ad Herodẽ.

Christus ad Pilatum reducitur.

Consuetudo Iudæorum annua in captis.

Pilatus vult dimittere Christum.

Pontius infandæ voluit demittere morti,
Omnes Barabã dimitti volunt, & Christũ crucifigi.
Æquus at insonti cupiebat parcere Christo.
Degener at populus non voci iræve pepercit,
Cæde sacra gaudens, & Christi morte triumphans,
Tolle virum, clamant, mediis crucifige sub auris.
Pontius at contrà, vos illum tollite, clamat,
Crimine nam nullo, nulla nam labe notatus,
Innocuo immeritas lueret cur corpore pœnas?
Quòd si tanta tenet vestras insania mentes,
Et cladem impietas non sentit vestra futuram,
Sumite vos illum, quacunq; & perdite morte.
Nil mihi cum Iusto hoc, nulla hunc infamia taxat:
Dedecus est etiam vestrum crucifigere Regem.
Illi autem contrà magnis clamoribus iras
Sic acuunt: Nobis Cæsar Rex summus, & unus,
Cujus amicitiæ si quis te detinet ardor,
Quam geris, hanc dicto citius nunc exue mentem:
Rumpe moras tandem: crucifixo deniq; Christo,
Mox Barabam vivum nobis è carcere redde.
Talia dumq; uno clamantes ore fremebant,
Et fixus furor immota perstabat in ira,
Vincitur, & populi succumbit deniq; motu.
Christus flagellatus. Cõparatio.
Ergo manus pura (velut insons) abluit unda,
Et Christum multa cæsum vibice flagellat.
Sic macula infamis qui condemnatur iniusta,

Stare

Stare ſolet, manibus conjunctim in terga retortis,
Carnificis donec virgis cædatur, & urbe
Exeat, ac tandem variis miſer exulet oris.
O ſcelus, & nullo ſpectacula viſa ſub ævo.
Cæditur hei Chriſtus virgis: dimittitur ille
Qui cædi infami debebat jure flagello,
Terga per atq; humeros: rigor ô quàm juris iniquus!
Quis mihi nũc linguas plures dabit, oraq; plura? Chriſtus magis magiſq; afflgitur.
Vt valeam Chriſti cunctos efferre dolores.
Ecce furens populus ſpinarum vimine texto,
Complicat horrentem ſentoſa è fronde coronam:
Hàc caput, hac ſancti præcingit tempora Chriſti.
Stat Chriſtus, ſtringiq; caput pungente corona
Dum videt, & crebris ſingultibus ora reſolvit,
Olli ſanguineus ſancta de fronte fluit ros.
Non ſecus in terras ac defluus incidit humor, Cõparatio.
Quem modicus vapor ima ſub regione creavit
Aëris, haud nocte intempeſta, at nocte ſerena,
Cui comes affulget croceis Aurora quadrigis.
Parte alia in riſum cunctas effundit habenas Iudæi et milites variè inſultant Chriſto.
Miles, & hic Chriſtum variis aſſultibus urget,
Hic ſcreat, & faciem ſputo deformat honeſtam:
Alter at in miſerum furiali percitus ira,
Occupat os pugno, ſublata & arundine longa
Percutit indignos connixis viribus artus.

Notior

Notior utq; foret confectam è ſindone veſtem
Exuit, atq; humeris ſolitos imponit amictus,
Sæva profanata ſpargens convicia lingua.
Mox alius Chriſtum verbis ita ludit amaris:
Alme Deus ſalve: ſalve Deus atq; hominũ Rex:
Rurſus ave multum: tua verò ubi ſceptra? tuumq;
Imperium, ſummo quod ſeſe attollit Olympo?
Ecce tibi ſceptrum fluvialis præbet arundo:
Irriſio. *Scilicet iſta decent tales geſtamina Reges.*
Parce tamen nobis, ſubjectis parcere noſti,
Juſtitia potes ut populum frenare ſuperbum.
Nos tua turba ſumus, nobis te parcere juſtum eſt.
Ille tenens cannam dextra trepidante paluſtrem,
Dat gemitũ, & tacitis præcordia luctibus implet.
Heu ſcelus infandum, humaniſq; immanius auſis,
Quod ſuperet Syculum ſumma feritate Tyrannum,
Ærea cui facta eſt ſimulati machina Tauri,
Incluſos utero qua lentis ignibus uſſit.
Fasne Dei Gnatum dictis proſcindere acerbis?
Et furere in Regem, quo nemo potentior extat,
Quòcunq; aſpicias? hæc magni machina mundi
Hujus in imperio eſt: quid mundo majus habetur?
Et tamen arbitrio illius ſumma aſtra feruntur.
Alma parens tellus magno concuſſa tremore,
Pendet ab hoc uno, tremit, & velut ima dehiſcit.

Hoc

Hoc mandante iterum ſtat centro immobilis ipſo
Terra, nec exeſis audet nutare cauernis.
Hunc talem, & totum extendentem regna per orbẽ,
Aggreditur pugno, maledictoq; ore ſatelles. (tus?
Quid verò hoc? quid & iſte ſibi vult ecce tumul- Apoſtrophe ad crudelitatem Iudæorum.
State viri: ſed ſtate ſtatim, nec tendite porrò:
State, inquam: quæ cauſa viæ? quò pergitis omnes?
Hei mihi dum tantis ferio clamoribus auras,
Nemo meas voces arrectis auribus haurit.
Armati incedunt omnes, geſtantq; coruſcos
Enſes, nigreſcunt haſtis ſublimibus aurę.
Agnoſco cauſam, & guttis ſuffundor obortis. Chriſtus morti deſtinatur.
Ipſe Dei Gnatus mortem ſubiturus acerbam,
Ducitur ah tandem: glomeratæ hunc undiq; turbæ
Includunt, ſeptum media inter & agmina ducunt.
Vos nunc Chriſtiades Muſæ, vos numine veſtro Precatio ad Muſas, ut in luctu ingenio fracto aſſint.
Aſpirate mihi, & veſtras precor addite vires,
Dum memorare horreſco, & mœſtũ penè mihi cor
Deficit, incerto pulſans præcordia motu.
En facies cæli quàm triſtis: & omnis ut umbras Facies aëris & cæli triſtis recordatione mortis Chriſti.
Orbis agit ſubitas: & Sol caput occulit altum:
Caliganſq; diem fuſcis nos contegit alis.
Forſan & in ſummo luctus renouatur Olympo:
Si quid habet luctus alti modò Regia cæli.
Ac niſi me fallunt mœſtæ præſagia mentis,

Aligeros video fratres: video eminus omnes:
Vt stant demisso vultu! & vestigia Christi
Clavorum, & lateris vestigia prisca recusi
Aspiciunt! lacrymasq; bibunt toto ore fluentes,
Ac tristem involvunt alarum tegmine vultum!
Quòd si tantus habet cœlestia numina luctus,
Tu Dea quæ nomen cognato ducis Olympo,
Huc ades Vranie Musarum è cœtibus una.

Descriptio collis in quo Christus crucifixus.

Est via quæ curvis protensa anfractibus, urbe
Non procul à Solyma ducit, sed penè sub ipsis
Se sinuat muris: acclivi hinc semita campo
Surgit, & exiguum infausto notat omine collem,
Golgatha cui nomen: non hunc decoravit odoris
Arbor opaca comis, nec erat quoq; collis hic ulla
Religione sacer: Sed enim fuit ille latronum
Meta trucis lethi, tignoq; ibi semper in alto
Ora virûm fracto pendebant pallida collo.
Huc igitur Christum sistunt, huc agmine multo

Quidam comitantur Christũ, insultãtes ei usq; ad mortem, quidam cõdolẽt tantis facinoribus.

Adducunt, densa vulgi comitante caterva.
Pars pedes incedunt, in equis pars altera tendunt:
Hic portat framcam, æratam gerit ille bipennem,
Ast alius lateri falcatum subligat ensem.
Post subeunt longo plorantes ordine matres:
Hæ lugent, penitusq; polos ululatibus ambos
Fœmineis feriunt: madidis pluit imber ocellis.

Qua-

Quales præcipiti deſtillant culmine guttæ, Cõparatio.
Turbidus abruptis ſi quando nubibus Auſter,
Fundit aquas, largaq; domos pluvia occupat altas.
Et jam jamq; magis fatorum meta malorum
Approperat, finemq; malis imponere certat.
Fit fragor: ille ſecat ferrata ligna ſecuri,
Atq; crucem fabricat: clavos hic portat acutos:
Alteri ad infandos fertur quoq; malleus uſus.
Quis cladem iſtius lucis? quis verbera Chriſti Exclamatio
Explicet? aut ſævos poſſit memorare dolores?
Filius ipſe Dei clavis terebratus acutis Pathos.
Figitur, & manibus diſtenditur in cruce celſa:
Ac velut hæc Vates quondam eventura canebant,
In media fixus latronum parte pependit. Chriſtus inter duos latrones crucifixus.
Quorum alter media quamvis in morte tenetur,
Non tamen audaci petulantem pectore linguam
Continuit, non ille ora effrenata repreſſit.
Si Deus es, tanta te nunc, ait, eripe morte.
Sin aliquam porrò ſpem cælo ponis in alto, Alterius moriturilatronis inſultatio.
Nos etiam tutare duos, nos eripe Chriſte.
Talia jactantem ſceleratum, & ſpurca loquentem
Non tulit à dextra latro qui parte pependit, Alter latro inſultantem reprehendit.
Atq; ita: Sicne tibi blaſphemo è corde receſſit,
Et pudor, evicto pietaſq; expulſa timore,
Non dubitas omni exuta ut probitate metuq;.

Evomere in Dominũ hunc diræ convicia linguæ.
Nos equidem ſcelere, & polluti turpibus auſis,
Supplicia & ſcelerũ pœnas nunc pendimus omnes,
Nullius moritur convictus criminis iſte.
Chriſte Dei fili, miſeri memor eſto latronis,
Chriſtus converſum latronem conſolatur.
Quando æterna tui ſumes moderamina Regni.
Ille ſub hæc: ut vera loquor, ſic luce ſub iſta
Te mecum pulchra Paradiſi in ſede locabo.
Eclipſis Solis tempore crucifixi Chriſti.
Ecce ſed ut medios curſus lux clara tenebat,
Horrenda in cælo exoriuntur viſa ſereno,
Mens meminiſſe horret: media ſub luce diei,
Ipſe ſuos velans atra ferrugine vultus
Sol ſtetit, & lato ſubduxit lumina mundo.
Non hæc talis erat tunc obſcuratio, qualis
Sæpius eſſe ſolet, quando nos inter, & altum
Eclipſis illa Solis non fuit naturalis.
Luna venit Solem, nodo conjunctaq; eodem,
Aſpectum nobis Phœbeæ lampadis aufert:
Major erat longè, naturæ & curſibus impar,
Namq; ſuum poſtquam complêrat cornibus orbem,
Plena ſub oppoſito fulgebat Cynthia Sole,
A quo ceu patria ſumit ſua lumina luce:
Ille tamen medios dum præbuit ætheris ignes,
(Cùm neq; ſubjecto adverſa eſſet Delia tergo,
Quò minus in totum radios Sol ſpargeret orbem)
Sponte ſua cepit triſti nigreſcere forma,

Atq;

Atq; illustre caput totis tribus abdidit horis.
Has tenebras cernens infaustum Solis Omen,
Intremuit tellus, magnum testata dolorem: Tremor Terræ.
Tantus luctus erat, divini cernere nati
Transverso in ligno extentos crudeliter artus.
Sol latet in luctu, & dat signum terra doloris.
Hæc tamen haud poterant duras miracula mentes
Flectere, non conversi animi, non impia turba.
Quin ipsam Christi (quid enim insanire nocebat?)
Arripiunt vestem, quam parte haud nevit ab ulla
Docta manus, certa neq; sectam consut arte:
Partibus ergo illam miles non dividit æquis.
Sors jacitur, retinet vestem quem sors sua tangit: Milites de veste Christi sorte mittunt.
Atq; ita Psalmographi vox est impleta Prophetæ.
Utq; ferè nonam Phœbus signaverat horam, (tum
Clamore hunc Dominus tollit, quo Pontus, & al- Querela Christi in cruce.
Insonuit cælum, telluſq; horrore tremebat:
Me, me ergo Deus, alme Deus, me deseris ultrò.
Qua voce emissa siccum sitis ægra palatum
Torret: at ut mordax fuit ori admotus amaror, Christus in agone sitit.
Nec sufferre potest commistum felle liquorem:
Ecce iterum magna miserandam voce querelam
Ingeminat, patriq; animam commendat, & inde
Consummata (inquit) sunt omnia: Vix ea fatus, Christus animã exhalat.
Divinum caput inflexa cervice reclinans,

Sanctam animam & vitam in gremiũ patris exha-

Velũ Templi sciſſum. *Ecce autem Templi (viſu miſerabile) velũ (lavit.*
Scinditur, inq; duas ſe partes findit: at ipſa
Subſultat tellus horrendo concita motu.
Multaq; agunt rimas ruptis dum ſaxa columnis,
Ecce aliud multò majus, magis atq; tremendum
Mortui ſurgunt. *Objicitur cunctis: tumbis nam multa recluſis*
Corpora conſurgunt, & vivo fota vigore,
Emergunt iterum ſub apertas ætheris auras,
Teſtanturq; Dei Natum, Regemq; fatentur,
Imperium cujus ſummis ſe terminet aſtris.
Functus at ille fuit fato, ſanctoſq; per artus
Sanguis iit, cervixq; humeris innixa pependit.
Vidiſſes ejus rorantes ſanguine palmas,
Perq; humeros ſpiſſo manantem rore cruorem,
Vidiſſes pectus bicolori flumine ſparſum,
Atq; cruentatas guttarum aſpergine plantas.
Apoſtrophe ad Matrem Chriſti. *Quis tibi tunc fuerat mœrenti in pectore ſenſus,*
Caſta Dei Genitrix? cùm chari vulnera nati
Suſpiceres? ſparſaſq; manus, faciemq; cruore
Turpatam? roſeoq; rubentia ſanguine crura?
Ac pellucentes diſtenta ſub cute fibras?
Sæpè tuis plangens mœrentia pectora palmis,
Talia turbato nequicquam corde gemebas.
Querela *Hoc ego te aſpicio vultu, hac & imagine cerno,*

Nate

Nate meum ſolamen? an hæc mihi gaudia tandem Mariæ ad
Afflictæ reſtant matri: expectata ſenectæ crucem.
Hæc ne meæ requies? qualem te flenſq; gemenſq;
Feſſa annis video: nec ſancto in vertice crines
Concretos tabo mihi ſaltem abſtergere fas eſt.
Non deſunt undæ: lacrymæ dant flumina largæ,
Et coma cana foret tergendo hæc apta cruori.
Hoc erat, ô fili, quòd te per tela, per hoſtes
Portavi infantem, ſolo comitata marito.
Tunc ubi atrox hoſtis diſtricto ſæviit enſe,
Teq; timens unum, petiit te fervidus unum,
Sanguine & infantum totas repleverat urbes.
Hei mihi quàm fueras miſeræ ſpes maxima matri!
Vbera ut admotis ſuxiſti hæc noſtra labellis,
Vbera quæ porto: quàm te complexa lacertis
Sæpè fui cupidis: ſed ſæpius oſcula fixi.
Nunc te poſt varios vitæ mortiſq; labores,
Pendentem aſpicio, morientemq; in cruce celſa.
Quæ mala? qui luctus miſeræ mihi deniq; reſtant?
Quod poſſum, ſpargã imbre genas, & flumine ſalſo,
Et lacrymas lacrymis, & planctus planctibus addã.
Dixit, & ore admota cruci miſerabile nati
Amplexa eſt lignũ, maduit quod ſanguine totum,
Multaq; dicturæ vocem dolor intercluſit.
Sol at ubi laſſos condebat veſpere currus,

Fortè

Fortè Arimathæa Ioſephus natus in urbe
His ſuper advenit: non hoc ſervantior æqui
Alter erat, Chriſti nec erat ſtudioſior alter.
Ioſephi officioſa pietas in morte Chriſti.
Ille metum ponens ignotas Præſidis ædes
Intrat, & hunc dictis affatum talibus orat:
Optime Romulidum quanquam mirabere forſan,
Quæ mea mens, animi quæ confidentia ſedes
Juſſerit has intrare, ignotaq́ viſere tecta:
Deſine mirari tamen, & depone ſeveros
Quos video vultus, mirari deſine tandem.
Si mihi te facilem dederis, dabis omnia Præſes.
Non poſco exuvias, (nã quas habet omniũ egenus?)
Tantùm relliquias, Chriſtiq́ exangue cadaver
Exopto, hoc largire mihi mitiſſime Præſes.
Pilatus jubet Ioſepho dari corpus Chriſti.
Ille autem admirans animũ, vultumq́ precantis,
Membra dari mandat defuncti exanguia Chriſti.
Tum verò Miles, cui magna licentia ferri,
Ne quid inexpertum crucifixis fortè relinquat,
Crura viris frangit, validoq́ haſtile lacerto
Impulit, impulſu quo Chriſti pectora rupit.
Ex vulnere Chriſti ſanguis & aqua fluit.
Exiluit bicolor ſuffoſſo pectore rivus,
Nam liquidas roſeo cum ſanguine protinus undas
Cernere erat, geminoq́ undantem rore liquorem.
Ioſephus Chriſtum ſepelit.
Extemplò interea properat Ioſephus, & ipſa
Signa petit collis, cui ſancta infixa fuit crux.

Admo-

Admovet & ſcalam, ſummi & faſtigia ligni
Aſcenſu ſuperat, mox fixos forcipe clavos
Extrahit, & tandem manibus complexus utriſq;
Defletum corpus, conſtructi in rupe ſepulchri,
Qua decuit pietate, & ſacro more recondit.

O quæ me ducat ventis ſors æqua ſecundis, Diſcurſus de loco Sepulturæ Chriſti.
Et mihi clivoſæ monſtret monimenta ruinæ,
In quèis reliquiæ Chriſtiq; exanguia membra
Carpebant mollem exciſa ſub rupe quietem,
Tertia lux donec læto ſeſe extulit ortu.
Non ego maluerim Europæ in regionibus omne
Scrutari latus, atq; ignotas quærere terras.
Majeſtas divina loco, venerandaq; ſemper,
Sed nunc ſpreta jacet, fatali & diruta caſu
Cernitur: apparent meritæ veſtigia pœnæ,
Dum ſtupet, & fato gens fœda obnititur omni.
Hæc regio, hæc tellus nati cunabula Chriſti Vbi primus homo cõditus, lapſus, et mortuus, ibi Chriſtus putatur natus, crucifixus et ſepultus.
Excepit gremio, hac etiam regione locorum
Primus homo fertur terrena mole creatus:
Creditur hîc idem lapſus: tumulatus & idem
Non procul hinc, placidè dormit: ſic omnia fatis,
Nec caſu eveniunt, primæ contagia noxæ
Facta ubi ſunt, illic noſtrum ſcelus eſſe piatum
Credibile eſt, fuſo mactati ſanguine Chriſti.
Nympha Palæſtinis aliqua huc precor advola ab oris,

Meq; per has ſanctas (ſi fas) deducito terras:
Aut hoc ſi nimium eſt, vel ſolam oſtendito rupem,
In qua divini ſita corporis oſſa quiêrunt.
Vidi ego in Arctois ſimulachrum nobile terris,
Quod cæſum ad ſpeciem divinæ creditur urnæ.
Huic viſo dant ſcripta fidem: Sed tu Dea vatem,
Quæſo, mone, noſtraq;, ô Nympha, allabere menti.

Deſcriptio Sepulchri Chriſti, ex peregrinatione Brocardi Monachi.

Quà quondã acclivi ſurgebat Golgatha monte,
Hac deſcenſus erat, nec longis paſſibus inde
Inſurgens rupes, vicino ſtabat in horto,
Materiem ſacro dederat quæ cæſa ſepulchro.
Veſtibulum ante ipſum ingreſſuſq; in limine primi,
Tumba alia extiterat, tumulo connexa ſacrato,
Mole pari & forma extructa, & quæ pariete ſolo
A tumulo Chriſti diſtincta erat: hanc ubi greſſu
Emenſam ſuperes, propiuſq; accedere tentes,
Anguſtæ apparent fauces, arctumq; ſepulchri
Oſtium, ad objectos quod Solis ponitur ortus:
A dextra ingreſſis Aquilonem ubi reſpicit ipſum
Speluncæ paries, & lato panditur ore
In tumulum aſſurgente: Hîc, hîc pia turba repoſtas
Reliquias Chriſti, ſanctas & condidit umbras.

Exequiæ Chriſto factæ.

Jamq; ubi conſueti ritus & ſacra peracta,
Egreſſi exanimem magno venerantur honore,
Fœdere quotquot erant conjuncti, quotquot amore.

Sta-

Stabant, & magna ſupremum voce ciebant.
Pars oculis dat largum imbrem: pars flebile buſtum
Spectat, in obtutu tota & defigitur uno,
Occluditq; fores, & tali carmine ſignat:

Hîc ſitus eſt Chriſtus, pro nobis victima factus,
Lux dedit hæc mortem, dabit at lux tertia vitam. — *Inſcriptio Tumuli.*

Hæc (ni fallor) erant crucifixi vulnera Chriſti, — *Epilogus breuem crucifixi Chriſti Exegeſin continens.*
Quæ placuit noſtris curſim memorare Camœnis.
At nullo hæ quamvis Pario ſint murice tinctæ:
(Ingenio ſiquidem vires natura negavit)
Me tamen has olim in lucem emiſiſſe juvabit.
Arma canant alii, florenteſq; ære catervas,
Me celebrare juvet ſummi benefacta Parentis,
Cujus magnus amor, cujus clementia finem
Non habet: En Gnatum ſummo demiſit Olympo,
Vt foret ob noſtram mactatus victima labem.
O immenſus amor, noſtriq; immenſa cupido!
Quas maculas nobis primævus inuſſerat Adam, — *Omnes homines ſontes, ſolus Chriſtus inſons.*
Abluit has inſons, & vulnere terſit acerbo.
Ille tulit ſævas multo cum verbere plagas,
Quem metuunt juſti, quẽ ſancti ſemper honorant.
Quod ſi tanta tulit non ſonti corpore damna,
Quid mihi? quid nobis nunc omnibus ergo futurũ?
Nos ſiquidem ſontes, hic ſed juſtiſſimus unus.
Ille ſed has pœnas, hos largi ſanguinis hauſtus

Sponte ſua ſubiit, caſu non territus ullo:
Scilicet ut Stygiæ perrupta valle paludis,
In quam capta fuit primi ſtirps tota parentis,
Victor ovans magni contunderet ora Draconis,
Atq; pios rurſus manes inferret Olympo.
Salus hominis reparari non potuit niſi ſatisfieret Deo.
Sed non antè datur lapſam reparare ſalutem,
Quàm nos multa prius clades, & multa malorum
Damna, per innumeros vitæ mortiſq; dolores,
Sidera tandem cæli in regione reponant.
Ergo velut quondam ſancti cecinêre Prophetæ,
Eſaiaſq; ſacro Vates prædixerat ore,
Non proprios, noſtros verè tulit ille dolores.
Nos tamen haud illum Dominũ cognovimus, ejus
Sed faciem fœdæ maculatam ſemine lepræ,
Credidimus ſummo ſcelus expendiſſe Parenti.
Pathos.
O hominum lux, ô noſtræ ſpes unica vitæ,
Chriſte ſalus mundi, quæ te ſors aſpera tantam
Juſſit adire necem? quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? cur hæc tua vulnera cerno?
Sic fuit in fatis: tibi ſic Patriq; placebat.
Non niſi finita per atrocia vulnera vita,
Ira tui tandem fuerat placata Parentis.
Namq; ut primus homo, Stygio deluſus ab Angue,
Incautus ſummi violavit juſſa Parentis,
Divinoſq; quibus fuerat cumulatus honores,

Tur-

Turpiter amisit, seq; ima ad Tartara mersit:
Tu Patris æterno prolatum è pectore Verbum
Mox ades, & Patri violentas eximis iras.
Et quoniam Genitor duros deponere vultus
Noluit, ablatos nisi reddere rursus honores
Posset homo, cæloq; insons assurgeret alto,
Tu Patri hanc jacturam etiam promittis honorum:
Dasq; manum in pignus, sancitaq; fœdera firmas.

Christus Verbum in lapsu primi hominis, obtulit se Patri satisfacturum.

O mirum fœdus, nostræq; indaginis omnes
Exuperans sensus: ô admiranda Dei mens.
Nam si vanus homo donis cælestibus auctus,
Cuiq; fuit noxæ vitandæ plena potestas,
Labitur is tamẽ, & reprobis scelus aggravat ausis:
Cur homo non idem divini numinis iram
Sanguine placuit proprio, lethoq; piavit
Omne nefas? an non justum foret illud & æquum?
Hoc ita non visum cæli terræq; Potenti.

Cur nemo hominũ pro lapsu Adæ Deo satisfacere potuerit.

Nam velut is justus, sic justo è corpore pœnas
Exigit: at justus nemo nisi Filius ille,
Conceptum genuit quem sacro Flamine, nulli
Mista viro Virgo, sed dio pondere plena.

Deus justus non nisi ex justo satisfactionem voluit.

Hic subeat summi clementia magna Parentis,
Atq; immota animis ejus vox fixa sit imis,
Nam semel è sancto quam vocem protulit ore,
Vox manet hæc, quodvis fit & irrevocabile verbũ:

Sic quoq; dum vetuit medios decerpere fructus,
Non tamen abstinuit conjunx sed carpserat illos,
Exitus ecce notat divinæ vocis abusum:
Nam pomi unius morsu mors venit in orbem.
Ergo Deus meritò, justas compulsus ad iras,
Quem fecit, Stygiis hominem subvertere flammis
Constituit, dictisq; minas fatalibus auxit.

Immensus amor Dei erga hominem.

Ecce autem rursus, patrio commotus amore,
Mutatur, sævæ moxq; obliviscituriræ:
Nec mora, quem genuit nulla sub orgine, Natum
Donavit nobis, ut nostræ pondera noxæ
Perferret, patriamq; ultrò compesceret iram:
Ille autem nostros assumserat integer artus.
Inde vide quanto nos amplectatur amore,
Ob genus humanum Patris in se dum trahit iras.

Deus filium suum unigenitum pro genere humano dedit.

Aspice deinde Deum, proprio qui parcere Nato
Noluit, innumeros illum sed adire labores
Impulit: has tantas animis cælestibus iras
Quis putet? ob vetitos unius conjugis ausus,
Non nisi mactati placantur sanguine Nati.

Cur Christus sanguineũ sudorẽ emiserit.

Ergo sanguineas quòd Christus corpore guttas
Emittit, subitoq; statim languore fatiscit,
Non frustrà, aut dubia fieri hoc homo credito causa.
Nam velut extrema cùm vitæ stamen in hora
Cernimus, atq; atram paulatim accedere mortem,

Hei

Hei miseri letho nequicquam astante timemus,
Fœda ubi Mors oculos tristi circumvolat umbra:
Sic quoq; dum Christo pœna tristissima moles
Incubuit, licet ille Deus fuerat quoq; verus,
Horruit ille tamen, labefactisq; ossibus hæsit.
Et quia divini persensit numinis iram,
Et fugit lethi carnis natura dolores.
Aut quoniam (nec vana fides hoc credere suadet)
Non paucos fore prævidit, qui tormina tanta,
Tamq; trucem mortem, non grata mente, nec æquis
Acciperent animis, tantumq; ob mortis agonem,
Qui grates illi, meritosq; referret honores,
Millibus è multis esset vix unus & alter.
Ecce Agnus veluti (quid enim patiētius Agno?) Christus tāquā Agnus traditur ma ctandus.
Thuricremis ultrò mactandum se dedit aris.
Totius ille gerit deliri crimina mundi.
Quæ non ille tulit cum multis scommata probris?
Quæ mala non passus? vix hæc ego dicere possem,
Si mihi vel centum linguas Deus, oraq; centum,
Ingenium & magnum, totumq; Helicona dedisset.
Hujus ab exemplo discat tolerare labores, Exemplo Christi omnes pii in hac vita afliguntur.
Qui cupit ætherea quondam in statione reponi.
Sicut enim Christus post mille pericula mortis,
Nunc fruitur vita, summoq; potitus Olympo,
Sub pedibus torquet stellati sidera cœli;

Sic

Sic etiam variis exercita vita piorum
Casibus, æthereas tandem transfertur ad ædes.
Qui Christum sequitur varios fert ille dolores.
Sed quia jam summi sedata est ira Parentis,
Januaq; accepta rursum est patefacta saluti,
Quas homines Christo tanto pro munere grates?
Præmia quæ dabimus? vel quos tribuemus honores?
Nullius hic donis, at grato pectore gaudet.
Hoc igitur tempus cuncti veneremur, & ipsa
Tristia salvifici meditemur vulnera Christi.
Quem non tanta movent infandæ vulnera mortis,
Ferreus est, scopulis forsan prognatus in altis,
Lacte nec humano, at nutritus lacte ferino,
Non homini similis, sed tanquam bellua vivit.
Sol latuit: tellus tremuit: patuêre sepulchra
Unius ob mortem: nos verò tempora luxu
Perdimus, immemores tantorum sæpè dolorum.
Clarius hoc luce est: juvenis nam sæpius amens
Non animum libris, sed labra admotat Iaccho:
Ac sæpè ad mediam ducens convivia noctem,
Ceu prope Lethæa sistens se stagna paludis,
Longa sui pariter Christiq; oblivia potat.
At tu sancte Deus, cui cælum paret & aër,
Tu prohibeto nefas, tu talem avertito mentem.
Jam, jam certa salus nobis: metus omnis abactus,

Christus pro genere humano mortuus, solam gratitudinem ab hominibus requirit.

Ingratitudo hominum in Christum.

Dum

Dum Phlegethon fractas vastato vortice vires
Nequicquam exertat, manesq; ad sidera raptos
Suspirat, mugitq; horrendùm in tristibus umbris.
Ipse immanè fremat flammantis portitor Orci,
Nos læti erecto attollamus lumina vultu,
Sub pedibus Christi quando prostrata jacet Mors.
Ergo quod justum est, & quod Deus ipse requirit,
Vitemus Stygiæ commercia grata catervæ,
Dignaq; pro parta faciamus vota salute.
Tum verò turpis peccata ingentia vitæ
Sint procul, ipsa Deo pietas cæloq; probatur.
Sic ubi mors fragiles è terris auferet artus,
Pars melior nostri sublimia scandet ad astra.
Sic ubi cælorum Deus olim inverterit orbes,
Cum mundo & totum flammis absumet Olympum,
Aspectu in Christi jucunda luce fruemur,
Vivaq; perpetuæ capiemus gaudia vitæ.

Recordatio vulnerum Christi hortari nos debet ad pietatem.

D I X I.

DE VITA LITERATA
SIVE SCHOLASTICA,

Oratio: in Academia Argentinensi publicè habita.



Vm mea jam toties adductis Musa Camœnis,
Ausa sit hîc summas sibi fandi sumere partes,
Nescio quæ mentem mihi nunc formido priorem
Mutat, ut ex imo ducam suspiria corde:
Ascendamq́ isthæc invita pulpita mente:
An quia materia ista meis est viribus impar?
De qua verba loco nunc sum facturus in isto?
An quia Livor edax rabido mea carmina dente
Carpit? & innocuos morsu depascitur artus?
Hoc potius verum reor: At discedito Livor,
Spumifer & veluti sus, curvos exere dentes,
Carpere nec cessa: quia cùm nil edere possis
Dignum laude, nihil Livor, nisi carpere, nosti,
Carpendisq́ aliis famam venaris inanem.
Ignosco sed enim tibi Livor: quando sub umbra
Perpetuò obscura latitans, obscurus & ipse
Nil facis ingenuis Musis & Apolline dignum.
Tempus erit quando nocturnis, Zoile, ab umbris
Egrediere foràs, sub apertam luminis auram,
Tunc, si tantũ animum, si tantum in pectore robur
Concipis, ingenio poteris certare, vel arte.

Nunc

Nunc ſinito: meliora canas dum, Zoile, noſtris.
Verùm hæc abrumpo, quæ quodam jure coactus,
Veſtibulum ante ipſum, primoq; in carminis hujus
Limine præmiſi: non bile accenſus & ira,
Sed magè vera meæ ut conſtet ſententia mentis.
Non hanc ambitio Cathedrā me ſcandere juſſit,
Juſſa ſed illius, qui dictis docta reſolvens
Labra, Periclæo tingit ſua verba lepore,
Neſtoriuſq; animus cum Grajo Neſtore certat. Anagrammatiſmus Ioannis Sturmii.
Quòd ſi magnifici Rectoris juſſa capeſſo,
Nec tantùm ingenii confido viribus unquam,
Coner ut hîc aliquas juvenili carmine laudes
Quærere, (nulla meæ tanta eſt audacia menti)
Vos omnes, quotquot pompam affluxiſtis ad iſtam,
Præſtantes virtute ſenes, juveneſq;, viriq;,
Inſignes omnes, excultiq; artibus omnes:
Vos decet, officii veſtri eſt, audire benignis
Auribus, in veſtram vertentem carmina laudem.
Fert animus latos Muſarum inviſere campos, Propoſitio.
Evehere & doctas in cælum laudibus artes,
Ingenuas artes, quibus ampli machina mundi
Nil habet utilius, nil & præſtantius uſquam.
Nate Deo, atq; idem caſta de virgine Nate, Invocatio.
Quandoquidem hunc noſtris ardorē mentibus af-
Tu mihi principium, tu finis carminis eſto. (flas,

Ex bibl. univ. Dorp.

Definitio Scholæ.

Hæc dum vasta stetit spacioſi machina mundi,
Ordo fuit vitæ primo sancitus ab ævo,
Quem dixêre Scholam, longè pulcherrimus ordo.
Ille regit dictis animos, & corda tenella
Exiguæ pubis, doctrina adnixus & arte,
Edocet, & quæ sint cœlo sacra numina pandit:
Quid verum & justum, solerti indagine quærit.

Narratio.

Nec sum animi dubius, prima sub orgine mundi
Mox aliquam populo sedem crescente fuisse,

Duo præcipui fines Scholasticæ vitæ, Iustitiæ & veritatis inquisitio.

Creber ubi sermo cœtu præsente frequenti
Est habitus, veri studio, justiq; favore.
Hinc aliis alii vicina deinde parabant
Tecta: domus structæ, vallatisq; oppida muris
Erecta: hinc paries vicini culmen habebat:
Gaudebantq; homines socia sic vivere vita.
Tum juvenis magni inquirens primordia mundi,
Ausus erat multas seniori obtrudere voces,
Discebatq; aliquid semper, docuitq; vicissim.

Schola primi hominis.

Primus homo fertur binas posuisse tabellas,
In quibus infanda heu deceptæ conjugis ausa
Cernere erat, digitisq; tuis, Adame, notata.
Illic & cælum, fabricataq; sidera cæli,
Divaq; promissi legisses semina Christi.
Has igitur tabulas, campo quæ fortè jacebant,
Signum agro positum credo: mortalibus esset

Ut

Vt locus, & certi quædam velut ara ſacelli,
In quo ſæpè ſuos natos mœſtiſſimus Adam
Eruditi, ſummi tradens mandata Parentis:
Amiſſoſq; illos integræ mentis honores
Deflevit, magnæ quòd fracti mole ruinæ,
Nil niſi relliquiæ humanis in mentibus eſſent:
O dolor, atq; malum cunctis mortalibus ingens!
Ergo prima Scholæ tanquam fundamina jecit
Primus homo, ſupera cui ſummus Doctor ab arce
Diſcipulo ſancti dictabat dogmata verbi.
Neve quis hæc dubiis involvat ſenſibus, altas
Inquirens rerum latebras, nimioq; cerebro
Ipſe ſibi pariat delira ſomnia mente,
Servat certa ſibi ſemper Deus agmina, ſervat.
Fecit ut hoc ſemper, quàm majeſtate verenda?
Luceat ut toto divinum nomen in orbe,
Vlla nec hoc unquam memori lux eximat ævo.

De hoc loco duarum Tabularũ Adæ vide Ioſephum Flavium.

Quid fuit? ut primi tot vitæ ſecula patres
Viribus exhauſti exigerent ſenioq; gravati?
Haud dubiè hos voluit totius conditor orbis
Stamina multiplici longiſſima ducere ſeclo,
Vt paſſim ſererent doctrinæ ſemina primæ,
Notaq; mortalis facerent primordia vitæ.
Atq; ut ſancta fuit tot jam labentibus annis,
Relligio patrum populos diſperſa per omnes:

Cur Deus primos patres voluerit eſſe longævos.

Sic nulla in toto fuit unquam Ecclesia mundo,
Cui sacra defuerint doctarum tecta Scholarum.
Hausit ut æthereas Moses mandata per auras,
Tabernacula jussu Dei erecta, erant Moſis Schola. *Vox divina jubet lato tentoria velo*
Erigere, huc vario collectum ex agmine vulgus
Concurrit, cupidis ac undiq; mentibus astat.
Pars docuit, magni tradens præcepta Tonantis,
Pars didicit, voceſq; arrectas traxit in aures,
Addiſcens aliquid quod poſt docuiſſe valeret.
Hæc & plura Scholas ſignant exempla retentas
Semper, ut illius celebretur gloria Regis,
Ad nutum cujus tremit alti Regia cæli.
Scholæ ſemper creverunt, & decreverunt. *Quòd ſi fortè aliquos doctrina amiſit honores,*
Non tamen eſt triſti prorſus collapſa ruina.
Ecce ubi primævis patribus tardante ſenecta,
Frigida mors animam corpus ſpoliavit adempta,
Numinis impulſu ſancti venêre Prophetæ,
Expectata diu promiſſæ ſemina prolis,
Et veram nobis qui præcinuêre ſalutem.
Ne morer at nimiis laſſas ambagibus aures,
O juvenes, animis hæc dicta infigite veſtris.
Si qua fuit ſemper prima uſq; ab origine mundi,
Vel Schola, vel ſedes ſtudiorum certa piorum,
Nunc quoq; grata Deo eſt pietas, quæ talia curat,
Præcipuè mundi ſeſe inclinante ſenecta.

Nam

Nam ſi nulla foret doctarum cura Scholarum,
Impius hic mundus quanta caligine noſtras
Fuſcaret mentes? juſto contrarius omnis
In pejus rueret, decoriſq; oblitus & æqui
Filius, humano nequaquam motus amore,
Iret, & in patrios fureret ceu bellua vultus.
Qualis equus multæ ſtabulis aſſuetus avenæ
Stat ferus, & preſſas mento detrectat habenas,
Attollitq; caput, frontemq; exporrigit altam:
Mox ubi correptus, vel verbere vapulat uno,
Ecce furens animis curæq; oblitus herilis,
Irruit, & nunc hos, nunc calcibus impetit illos:
Non talis doctæ quiſquis caput obtulit arti,
Mollit enim mores pulſa feritate probandos,
Ingenuas didicit quicunq; fideliter artes.
Quis benè cæleſti de relligione doceret?
Ni ſint diſcentum, ni cætus ſintq; docentum?
Hi vera è dubiis diſquirunt ſenſa figuris,
Quas tibi ſæpè offert vel linguæ phraſis Ebræa,
Sive etiam linguæ vox anceps crebra Pelaſgæ.
Sæpè quis implicitis verborum ambagibus actus,
Hæret, & huc dubius nunc lumina dividit illuc:
Mox ubi fortè nequit certos deprendere ſenſus,
Obvia quæq; loquens verborum ſyrmata ſarcit.
Linguarum indoctus tenebras deturbat in imas

Scholæ ſeminaria ſunt Reipub.

Cõparatio.

Scholarum neceſſitas ad ſacram ſcripturam.

Verba

Verba Dei: hinc vulgus variũ & mutabile ſem-
Scinditur in partes animis diſcordibus omnes. (per
Ergo ut ritè queas invicti oracula verbi
Pandere, & è populo diſcordes tollere ſenſus,
Diſces ingenuas linguis cum pluribus artes.
Hinc veniunt mores, & moribus addita caſtis
Vita, coruſcanti quæ ſeſe attollit Olympo.
Non ego diverſos hominum diverſus honores
Deſpicio: cuivis ſua ſit laus reddita vitæ:
Reſpub: non ex paritate, ſed diverſitate hominum conſiſtit.
Quando urbem Medicus non efficit unus & alter,
Sed junctus Medico curvi moderator aratri.
Sic fatis viſum, præſtantibus alter in armis
Dimicat, agmen agens equitum peditumq; phalan-
Alter ut humanæ vitæ ſibi comparet uſum, (ges,
Vela dat extremis infelix ſæpius Indis.
Sic omnes ſequimur naturæ ſemina noſtræ,
Cùm ſtudiis extet nullus præſtantior ordo.
Nam ſi Iuſtitiæ ſanctas quis condere leges,
Scholarum neceſſitas ad Iuſtitiæ & Iuris indagationem.
Aut hominum placidos cupiat componere cœtus
Abſq; Scholis, toto hic errat cæloq; viaq;. (legũ,
Quicquid habent, ut habent, numeroſa volumina
Quid niſi ſunt veterum præclara ſtatuta Scholarũ?
His ſine, qui poſſent hominum conſiſtere cœtus?
Si tollas leges, trahat & ſua quenq; libido,
Ante oculos fœdè Reſpublica lapſa jacebit,

Plu-

Plurimus & patriis errabit in urbibus hostis.
Hoc quondam Domini rerum sensêre Quirites,
Regibus expulsis, cùm civica turba patrabat
Omne nefas, nec certa dari sibi jura volebat.
Namq; ubi nulla forent trabeati sceptra Quirini,
Jusq; datum sceleri, lex armis pressa sileret,
Victa fuit pietas, & freno juris abacto,
Sæpè vagabatur sævorum more Leonum
Civis, & infandis inhians per tela rapinis,
Exuit oblatos pariter vitaq; bonisq;.
Tunc igitur placuit tranquillam exposcere vitam,
Et dare jus populo, & pacis conquirere leges.
Nec mora, Legati Argivas mittuntur in oras.
Urbs antiqua fuit fama notissima quondam,
Nunc at ob horrendam vix agnoscenda ruinam:
Dicitur hanc Pallas terris magis omnibus unam
Post habitis coluisse armis, atq; ægide dira.
Artibus ingenuis fuerat celeberrima sedes,
Nomen Athenarum à docta tenet inde Minerva.
Hinc Romanarum sunt sumpta exordia legum,
Quando Urbs tota fuit duodenis usa tabellis.
Quantus honos sed enim nobis, quantūq; periret
Præsidium vitæ humanæ, atq; medela malorum,
Pæonia nemo si miscens pharmaca dextra,
Materiam varii posset depellere morbi.

Romani à Græcis civitatibus leges vivendi petivêrunt.

Leges duodecim Tabularum ex Græcia ad Romanos allatæ.

Scholarum necessitas ad artem Medicam.

Sæpius ora suæ signans intonsa juventæ
Correptus morbo exiguo puer iret in umbras.
Hîc ne fortè aliquis dictis obmurmuret istis,
Stat sua cuiq; dies, fateor: Mors quemlibet aufert,
Quando homo concessi metam pervenit ad ævi.
Sed quia prima mali labes, lapsusq; parentum
Innumeras peperit pestes mortalibus ægris:
Per varios luctus, per tot discrimina vitæ
In morbos lapsi, morbos evadere cunctos
Expetimus, precibus quos sæpè fugamus, & arte,
Quam Deus, atq; sagax hominum natura paravit.

Scholarum necessitas ad Mathematũ & Astronomiæ cognitionem.

Proh dolor, ut magnis cuncti erraremus in umbris,
Astrorum nobis ni dia Mathemata motus
Monstrarent, certa nec eos ratione notarent.
Nescires annum duodena absolvere signa,
Nec benè repleres maturis horrea culmis.
Astrologus pluvias Hyadas, geminosq; Triones
Novit, & ingentem circumspicit Orionа.
Dicit hic, ex altis ruituros nubibus imbres,
Tauri ubi frons septem stellas producit, & abdit.
Explicat hic alto lucentia sidera cælo,
Et docet haud unquam visos impunè Cometas.
Quid strepitis stolidi? nugas qui dicitis esse
Hoc studium: summi magnus Regnator Olympi
Quo voluit nobis miram constare suam vim.

Est

Est decus & vitæ non infima gloria nostræ,
Eruere ex astris venientia fata supernis.
Si qua fides famæ est, collectum Carolus agmen
Nondum Ticinas cùm decreviſſet ad undas
Ducere, & haud ullus rumor certaminis esſet,
Cario Liligeri prædixit vincula Galli
Longè antè: & captæ expugnata palatia Romæ
Prævidit, positusq; astrorum haud fallere dixit.
Et dubitamus adhuc artes cognoscere tales?
Hactenus infausto quæ fulserat omine Stella,
Stella facem tremulam nitido respersa colore,
Æthere non illo, regione nec aëris illa,
In qua sæpè solent metuendi ardere Cometæ.
Altius at longè: Axi Cassiopeia polari
Quà solio vicina suo est: Octavus & orbis
Quà vehitur, fixasq; rapit vertigine stellas.
Terribile hoc sidus, naturæ & legibus impar,
Tristia portendit nostris insurgere terris.
Augur ego, ô utinã sim cunctis vanus & augur.
Si qua tamen ratio est ævi observanda prioris,
Si qua fides etiam historiis adhibenda probatis,
Quando loco in simili tristes fulsêre Cometæ,
Certa sequebantur miserandæ bella ruinæ.
Sic rerum summa cùm functus Honorius esſet,
Signa refert vates ruituri prævia regni,

Cario prædixit Regẽ Galliæ & Romam captum iri.

Excurſus de Stella ad Caſſiopeiam viſa, & aliis ſimilibus.

Claudianus meminit cometæ tempore Honorii.

Et cælo nunquam ſpectatum impunè Cometam
Dicit: At Imperium Occaſus, tunc mole ſua ſtans,
Procubuit: ſenſitq; gravem vi capta ruinam
Roma orbis caput: arctois ubi Totila ab oris
Duxit in Italiam populantes omnia Gottos.
Inde Heruli, & Rugii, & Saracenæ infuſio gentis,
Deniq; Tyrigetæ, ne quid reſtaret, atroces
Paſſim exhauſêrunt variis reliquum omne rapinis.
Tunc bellatores Franci quoq; Gallica regna
Invaſêre: Sed his Burgundus, Suevus, Alanus,
Vandalus oppoſiti, armis certavêre cruentis.
Plurimus utq; Italas terror concuſſerat oras,

Attila vaſtat Germaniã, Galliã, & Italiam.

Ecce manũ Hunnorũ quingentis millibus armans,
Ille, Dei ſeſe qui dixerat eſſe flagellum,
Attila, Germanas non tantùm atrocior urbes,
Gallica verùm etiam miſerè vaſtaverat arva.

Cometa tempore Othonis Cæſaris.

Imperii ut faſces Otho primus Cæſar habebat,
Tunc quoq; viſus erat cælo flagraſſe Cometa,
Sede ferè in ſimili, & ſub eadem Caſſiopœa.
Is gentem Hungaricam noſtras excivit in oras,

Victoria Cæſaris Othonis cõtra Hũgaros & Tyrãnos in Italia.

Vindice quam dextra validiſq; invictus in armis
Vicit Otho Cæſar, vicinas quà Lycus Alpes
Præterit, & Suevos à Boiis ſeparat agros.
Idem nubiferas bellum convertit in Alpes,
Devictiſq; illic celeri virtute Tyrannis,

Italiam

Italiam totam, magno fervente tumultu,
Rursus in antiquam formamq; decusq; redegit,
Et majestatem Imperii in Germanide terra
Restituit. Sic bello ingens fuit usus in illo.
Annos ter centum & Sol bis duo lustra peregit, Cometa ante Annos 320. visus.
Arsit in hac etiam quando regione Cometa:
Ille quid attulerit notum: ô nimis undiq; notum.
Conscia ceu scelerũ est, & fraudum conscia tellus,
Ille horror Regum Gallorum Carolus horror, Carolus Octavus.
Parthenopes regnũ quando astu & fraude recepit.
Fortè sub id tempus (nec me sententia fallit)
Cladem à perjuris passa est quoq; Iberia Pœnis.
Jamq; abiit seclum duo cùm fulsêre Cometæ, Duo Cometæ ante annos 100.
Tanta mole, coma ut duo cœli signa replerint.
Inde secuta fuit facies tristissima terræ:
Immatura seges vanis arebat avenis, Arida Æstas.
Cultorem mœstum tostaq; elusit arista,
Ac multæ arebant, epotæ ut funditus, undæ.
Post hæc exurgunt & terras turbine perflant
Immanes venti, & velut auctis mole procellis,
Subvertunt fundo magnarum tecta domorum.
His aliud multò majus, magis atq; tremendum
Publica res passa est. Nam parte immanis ab una
Successuq; ferox injustis Carolus armis, Carolus Burgundus.
Imperium affectans, Burgundis subdere terris

Teutonas optabat, vicinaq; terruit arva.
Amens at bellum cauſis ut movit iniquis,
Sic etiam in mediis cecidit conatibus amens.
Parte alia Hunniades optato in cardine rerum,
Hoſte Dei ipſius, qui Chriſtum eviſcerat ipſum,
Chriſtiadum & nomen molitur tollere totum:
Neglecto hoc tali Matthias hoſte, ſuperbus
Ingentes animos, ingentes concipit iras,
Auſtriadas contra ſe tollens: inde Bohemo
Regno inhians, hæredē irritat marte Polonū, (quā
Quorundam inſtinctu & Furiis. Ceu cætera nuſ-
Bella forent, nec jam communis viveret hoſtis.
Si tibi bellandi, Matthia, tanta cupido,
Nonne fuit melius, longè & conſultius, arma
In fera graſſantis convertere viſcera Turcæ
At non ille tuis terris, non ille pepercit
Hungarico regno: Sed totis viribus, ac vi
Ingentes arces fundo ſubvertit ab imo,
Inq; tuos auſus manes ſævire ſepultos. (dem
Quid Mahometigenas memorem? qui tempore eo-
Ipſam Aſiam (infandum) expugnatis undiq; regnis,
Quàm lata eſt, ferro ſibi ſubjecêre cruento.
Quid memorem veterū Byzantia mœnia Thracū?
Paulò capta prius: mox Boſnæ ſceptra ſubacta.
Quòd ſi nulli unquam ſunt viſi impunè Cometæ,

Matthias Corvinus Hunniades, neglecta occaſione bellandi cōtra Turcum, occupat Bohemiæ Regnum.

Conſtātinopolis capta.

Nulli Comet

Præ-

Prævia sed fuerint certorum signa malorum, — *ea impunè visi.*
Quid feret hæc nobis lachrymosi nuncia luctus
Stella? (licet dubium sit, rectè an Stella vocetur.)
Certè hujus similis tam cæli in sede remota
Visa prius nulla est, prius observata nec ulla,
Præter eam memorat quam divi pagina Procli.
O miseras gentes torvo quas aspicit ore — Exclamatio
Taurus, & oppositæ metuendus acumine caudæ
Scorpius: ô sævo motos Aquilone tumultus.
Quid restet, video: Sed non volo dicere, verùm
Christiadæ ignavi tandem resipiscite, tandem
Christiadæ offensum precibusq; inflectite numen.
Hæc placuit brevibus cursim perstringere dictis,
Ante oculos quando minitatum est tristia nostros,
Hactenus infausto nobis visum omine lumen,
Dumq; fuit simul astrorum mihi mentio facta,
Quorum ex noticia divina Mathemata constant.
Atq; hæc cuncta quidē veterū sunt clara Scholarū — Omnes artes & disciplinæ à veteribus Ethnicis.
Dogmata, si quid habent præsentia tempora laudis,
Acceptum referas priscis, Germania, scriptis.
Hei mihi quòd summum non agnovêre Parentem,
Illi omnes totus quos demiratur hic orbis.
Ergo felices, & terq; quaterq; beati, — Felicitas Christianorum inter quos literæ florent.
Quorum ante ora sacri lucent mysteria verbi,
Nos sumus, & veram quotquot novêre salutem.

Vera

Vera ſalus hominis Chriſtus, quem credimus omnes
Ante mare, & terras, cælumq́ quod imminet orbi,
Æterni Patris genitum ſine origine Verbum.
Quòd niſi ſumſiſſet mirando fœdere maſſam
Humani generis, pœnaſq́ dediſſet acerbas
Morte obita, noſtrumq́ nefas ſic ſponte piaſſet:
Mortalis diro foret obvius omnis Averno:
Nunc via fit, gaudetq́ fides ſuper æthera ferri.
Nos igitur rurſum meritis pro talibus omnes
Semina cæleſtis diſcamus ſpargere verbi,
Quo ſine non ullus ſuperas evadet ad oras.

Scholæ qualia ocia habeant.

Nec verò vanis eſt vita Scholaſtica ludis
Dedita, inutilibus conſumens ocia rebus,
Unde Scholis credas hæc indita nomina doctis:
Indocti hæc populi rudis & ſententia vulgi eſt.
Ocia ſunt Ludis doctos parientia cœtus,
Ocia cum magno certè conjuncta labore.

Labores docentium in Scholis.

Quis Ludi cerebro toto ſudante Magiſtros
Neſcit in immenſa curarum vivere mole?
Multùm obſtat juvenis ſtupido qui dicta cerebro
Non capit, & memori nihil unquã mente reponit.
Iſti ſi accedat perfrictæ audacia frontis,
Auſit ut elata ſibi ſumere cornua mente,
Nec dubitet proprium vultu oppugnare Magiſtrũ,
Porcus ut, adverſo ſemper tibi grunniet ore.

Alter

Alter at ingenii confidens viribus, horas
Perdet, & in vanos defiget lumina lusus.
Hunc fidus quando monitor reprehendit, & illum Ingratitudo Discipulorũ erga Præceptores suos.
Erudit, ingratum non solùm reddit utrunq;,
Sed quoq; pro officiis convicia multa reportat:
Ceu malè apud multos veteris stat gratia facti.
Præmia sed quanquam meritò non æqua labori Non omnes docti laboribus suis æqua præmia accipiunt.
Accipimus semper: tamen hoc solamen habemus,
Quòd docto vitæ genere haud divinius ullum est,
Res velut ipsa refert, & rerum conscius æther.
In reliquis hominum gradibus rarissimus extat
Justitiæ quem tangat amor, veriq; cupido.
Quocunq; aspicias, quocunq; & lumina flectas,
Omnia plena doli, fraudum sunt q; omnia plena.
Hic corradit opes per fasq; nefasq; paratas, Collatio vitæ profanæ cum literatæ.
Alter at occulta nummos depromit ab arca,
Annua qui referant geminato fœnora lucro.
Sic tibi pro quovis nummus subducitur usu.
Talia non insint doctis: fraudisq; doliq;
Expers vita magis sit docta exosaq; fucos.
Si non arridet vultu fortuna sereno, Ex literis immortalitas.
Nec semper docti ventis afflantur amicis,
Æternum è studiis norint sibi quærere nomen,
Instar opum magnarum, atq; ampli muneris instar.
Non tamen & doctis desunt alimenta Camœnis:

Imò bonis cunctis restant sua præmia: Quòq;
Ordo Reipublicæ magè floret, præmia reddit
Majora, & quivis contentus sorte sua sit.

Fortuna & Virtus non semper in uno concurrunt.

Non semper virtus & sors miscentur in unum,
Sæpè etiam indignus summos acquirit honores,
Et multis fortuna favet, multisq; repugnat:
Utrisq; immeritò. Nec longè exempla petantur.

Vita Scholastica duos præcipuos fines respicit, Iustitiæ & Veritatis inquisitionem.

Jamq; patet quantū sit vita Scholastica munus.
Proinde ades, & tali cupias te credere vitæ,
Qua nihil hoc toto cernis præstantius orbe:
Justitiæ est siquidem cultrix, virtutis & ejus
Quæ veri nomen tenet: has vestigat & ambit
Miles, qui sequitur doctarum castra Scholarum,
Jus, Verumq; suis propugnans fortiter armis.
Non secus ac densos acer cataphractus in hostes
Tendit, & adversum fidens fert pectus in agmen,
Pro lege, atq; suo grege pugnans fortibus armis.
Sed quotus est nostrum qui vero impulsus amore,
Optet honoratas cupidus se ferre per artes?
Nec variis toto vitiis se polluat ævo?
Heu bona cùm castis sint hæc tradenda Camœnis
Ocia, traduntur rebus persæpè profanis,
Seu fato, seu sic mundi jam pœna requirit.

Veteres bellatores literis deditifuerunt.

Mos veterum melior, quos sævo Marte potentes,
Non puduit doctos interdum evolvere libros.

Exem-

Exemplo est Xenophon: & qui tela inter & hostes Xenophon.
Mœonii secum divina volumina vatis
Gessit, & his capite innixus sub nocte profunda
Incubuit, placidumq; hoc carpsit more soporem Alexandri Magni consuetudo.
Rex Macedo, magnum domito cui nomen ab orbe
Quod decuit Regē invictum bellōq; animisq;, (est.
Grande sibi hoc multi nunc credunt dedecus esse.
At siquidem è studiis major prudentia crescit,
Omne genus vitæ sine iis vanum esse putandum est.
Si spectes bella, & variæ certamina pugnæ, Militaris prudentia augetur literis.
Testes historiæ, & rerum experientia testis,
Sæpè viros magnos doctrinæ insignis ob usum,
Consiliis nixos, & doctæ munere linguæ
Res magnas gessisse: manum cùm sæpius hostis
Ingentem glomerans, nulla ratione nec arte,
Exiguo at cauto fuerit superatus ab hoste.
Ergo quòd Æneas Vulcania sumsit ut arma,
In quibus aspiciens revoluti sidera cæli,
Nec non res Italas, & serò fata futura Clypei Æneæ imago quid designet.
Picta videns, mirisq; in ferrum incisa figuris,
Miratur, rerumq; ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamq; & fata nepotū.
Quid notat hoc aliud? nisi verum & Principe di-
Officiū: qui non præsentia tempora tantùm, (gnū
Sed quoq; præterita, & quæ credat cunq; futura

Ingenii totis ſcrutetur viribus ac vi.

Vlyſſis prudentiæ præfertur temerariæ fortitudini Ajacis.

Hinc igitur fortem Ajacem facundus Vlyſſes.
(Ambo ubi de exuviis magni rixantur Achillis)
Illudens tacitè, Græcorum aſtante corona,
Vult, ait, ut capiat, quæ non intelligit, arma.
Spernitur ergo Ajax, capit arma diſertus Vlyſſes.

Sed quid in his moror exemplis? quid talia pādo?
Sunt tibi lecta ſat hæc, & ſunt tibi nota juventus,
Quæ nihil ingenua ducis prius arte: nec ullum
Tempus amas, niſi quod libris conſumis in ipſis,
Eq́ tuis ſtudiis ſurgit tibi ſola voluptas.
Illa domi oblectant: foris hæc commercia grata
Dant tibi: pernoctant tecū, atq́ hinc inde vagan-
Pergite, quod facitis juvenes, incūbere Muſis, (tur.
Nam pudor eſt, doctas precioſi temporis artes
Fallere, & in molli vitam conſumere luxu.
Quòd ſi vana malis carpemus gaudia factis,
Muneris immemores, noſtrorum & ſæpè bonorū,
Ipſe Deus cunctas irarum effundet habenas,
Noſq́ flagellatos pœnis affliget acerbis,
Mitior humana ni fiat fortè querela.

Deus ab ingratis literarū ſtudia aufert.

Ergo Deum palmas conjuncti oremūs in ambas,
Ut noſtros actus, & vitam dirigat omnem,
Nequando ſtudiis fœdè ſpoliemur ademptis,
Ingrati ſiquidem dubia certamus arena.

Et

Et quoniam docta, fatali hoc tempore, Musæ
Stant animo tristi, dum plurima mortis imago
Exoritur passim, bellorumq; ingruit horror,
His placet hoc precibus præsens concludere carmen.
CHRISTE tuo qui nostra lavas delicta cruore, Epilogus in precibus desinens.
Victor & ob nostram contundis Tartara labem,
Aspice nos, non quòd nostra pietate meremur,
Sed quia tu gratis nostri misereris & ultrò:
Da Christe auxilium, & fidos tibi collige cœtus.
Te flatum mittente sacrum renovabimur omnes,
Te flatum renuente sacrum peccabimus omnes.
Scis benè quàm miris nos vexet fraudibus ille
Hostis, in inferna qui se dolet esse palude.
Tuq; patrocinium nostri quia suscipis unus,
Alarumq; tegis nos umbra, Christe, tuarum,
Infremit ille Draco, technisq; instructus & arte,
Circuit. Utq; Leo quem sæpè fatigat edendi Cõparatio.
Dira fames, spumas fremebundo colligit ore:
Inde ferox animi prædam si cernit opimam
Advolat, & miseros horrendùm distrahit artus,
Mox vorat: Haud alia est Stygii Serpentis imago.
Qui vitam cœtusq; pios hinc cominus atq; hinc
Proturbans, cunctos homines crudeliter angit.
Nos verò talem non oppugnabimus hostem,
Ni clypeus nobis tu sis, ni nostra potens Dux

Arma regas: monstresq; viam qua pellitur hostis.
Nam fractis miseri nequaquam fidimus armis.
Ecce homines quanquã videant meliora, probentq;,
Deteriora tamen perversa mente sequuntur.
Ergo per has lachrymas, per trinum numen & unũ,
Oramus te Christe veni: succurrito nobis.
Pace alma defende tuos, contunde feroces,
Qui te conantur patria subvertere sede.
Turcorum expeditio bellica in Hungariam Anno 1566.
Ipse vides sævi collecto milite Turci,
Pannonios latè ut vastent cultoribus agros.
Et quia salvantem nos te profitemur Iesum,
Fulminat hostis atrox armis, ensemq; coruscat
Terribilem, nostros donec pertranseat artus.
Nec tantùm nos ille odit, tua sancta profanat
Numina, cumq; sacris cupit hæc evertere Templis:
Ne tua majestas toto celebretur in orbe.
Quòd si nulla tui maneant commercia cœtus,
Et sedet hoc animo selectam perdere gentem,
Quis te collaudet? Quis trinum numen honoret?
En aderit nunquam satiatus sanguine Turcus,
Zigetha arx capta, et Comes de Zerin ibidẽ cæsus.
Magnanimum heroëm & sublimem fortibus ausis
Zerinium, capta dirus qui sustulit urbe
Zigetha, innumeris infanda strage peremptis.
Si nobis deeris, si nos, bone Christe, relinques,
Nos flamma absument, inimicus & hauriet ensis.

Sed

Sed tua vox rata semper erit, divinaq́ verba
Nulla immutabunt clypeatæ tela catervæ.
Jamq́ ades, & nostræ Rector rege vela carinæ,
Ut miseri fractis discamus currere remis.
Sic ubi nos olim cælo sociabis aperto,
Te collaudantes, te supplice mente colentes,
Aurea perpetuo tibi carmina more canemus.

DIXI.

Finis Poëmatum in Academia Argentinensi publicè recitatorum:

SEQVVNTVR ALIA DIVERSI generis carmina, partim in Argentinensi, partim in vicina Basilicnsi Academia scripta.

NOBILITATIS LITERATÆ ENCOMIVM.

AD GEORGIVM LVDOVICVM Huttenum, Equitem Francum, Argentinæ literis operam dantem, Anno 1567.

Hæc tibi qui gestas Huttenæ insignia stirpis,
Pieria ludo carmina pauca chely.
Si placet, hospitio juveniles excipe versus,
O desiderii spes Ludovice mei.

Non

Non tibi mittuntur fulvi preciosa metalli
Munera, sollicitus qualia Dives habet:
Nostra sed occurrens, inflexo poplite, Musa,
Optat amicitiæ pars sit ut una tuæ.
Quid mihi vobiscum est, hoc spreti tempore Vates,
Inquis? abi è Clario turba oriunda choro.
Non ais hoc: probitas morum, Ludovice, tuorum
Cognita jam multis est mihi tota modis.
Nam velut ingenuas amplecteris impiger artes,
In studiisq; optas molliter esse tuis:
Sic quoq; Pieria non es diversus ab arte,
Expetis at blanda, carmina nostra, manu.
Ergo sacris quanquam sint fata adversa camœnis,
Ut stet in Aonio mœsta Thalia choro:
Non tamen abjicio vires, animumve labantem,
Sæpè sed argutis tempora fallo jocis.
Vatibus hic mos est: vultus non sumat acerbos,
Qui cupit Aoniæ fila movere Lyræ.
Hactenus hæc, longis fortasse ambagibus acta:
Ad te oculos verto nunc, Ludovice, meos.
Unde sed aggrediar meritas tibi dicere laudes?
Obruet ingenium sarcina magna meum.
Clarus es, & veteri Francorum è sanguine natus,
Est tua nec nuper nobilitata domus.

Quis

Quis locus? Occiduo quæ terra remota ſub orbe eſt?
Non benè quæ veſtrum noverit antè genus?
Si quis id à prima deducere origine tentet,
Enumerans ſtirpis ſtemmata cuncta tuæ:
Ille animi ſenſus in partes dividat omnes,
Plurāq; cum linguis pluribus ora gerat.
Non mea ſe tanto vult immiſcere labori
Muſa, nec eſt hujus Carminis iſtud opus.
Sat mihi Nobilium laudes celebrare virorum,
Nomina qui veræ Nobilitatis habent.
Qui velut ingenuas multùm coluêre Camœnas,
Sic quoq; bellaci prævaluêre manu.
O quantum decus eſt, cùm doctas excolit artes
Quilibet è clara Nobilitate ſatus.
Præſtitit hoc olim melius veneranda vetuſtas,
Nondum tam variis improba facta malis.
Nunc nos in vitium ruimus: ſunt obvia nobis
Turpia, qui cupies optima, rarus eris.
Mos veterum melior, qui vitæ quodlibet ævum
Artibus, aut doctis contribuêre viris.
Nec puduit ſævo pugnaces Marte Quirites,
Interdum varias invigilaſſe libris.
Magnus Alexander dum claſſica ſigna ſecutus,
Movit in hoſtiles arma cruenta manus:

Ocia per, caci legisse volumina Vatis
Fertur, & hæc capiti supposuisse suo
Instar pulvini: cùm dulcem nocte soporem
Rex tantus vellet conciliare sibi.
Quod Regem decuit præstanti Marte potentem,
Turpe sibi multi Teutones esse putant.
Sed tamen haud prorsus virtutis nescia priscæ,
Sæpè tulit claros Teutonis ora viros.
Qualis erat quondam sublimibus acrior ausis,
Huttenæ Vlricus Nobilitatis honos.
Vir magnus bello: validis quo clarior armis
Vix quisquam, aut docta major in arte fuit.
Strenuus adversum pugnabat miles in hostem:
Si qua fuit forte res peragenda manu.
Sin fera sedato siluêrunt bella tumultu,
Almaq; tranquillæ tempora pacis erant:
Non turpes egit luxus Huttenicus heros,
Sed magis Aonia visus in arte fuit.
Inde sibi Musas summo devinxit amore,
Præmia Pegaseam laudis adeptus aquam.
Hanc toties cupidus Parnasi in vertice potans,
Lusit Apollineo carmina digna choro.
Illius ergo animam quamvis subduxit & artus
Parca, sub exiguo clausit & ossa solo:

Parte

Parte tamen meliore manet: nam spiritus astra
Incolit, & terras vivida fama replet.
Publica quæ nobis claro monimenta labore
Liquit, & excusis scripta diserta libris,
Hæc tibi testantur divinum mentis acumen,
Quo reliquis longè clarior unus erat.
Si spectes animum, præstantem heroa notabis,
Cui virtus magnum calcar ad arma dedit:
Sin aliquem docta quæras ex voce lepôrem,
Ingenium magnæ dexteritatis erit.
Sæpè gravem superat versu resonante Maronem:
In Satyris ipso non Juvenale minor.
Hunc ego dum tribuo tantæ præconia laudis,
Optime & ô animæ pars-Ludovice meæ:
Pulchra tuæ cupio calcaria subdere menti:
Erigitur stimulis mens generosa datis.
Hanc igitur summis imitabere viribus unum,
Qui sua de vestra nomina stirpe tulit.
Sic tua Nobilitas titulis accrescet avitis;
Sic tua post cineres fama superstes erit.
Sed neq; me dubio torquet mens anxia sensu,
Quin tua sit veris obvia vita bonis.
Est tibi naturæ bonitas, virtutis amorq;,
Qui monet à recta ne rapiare via.

Nec tibi prava placent ſtultæ commercia turbæ,
Nec ſuperant vires pocula multa tuas.
Ex ſtudiis potius, feſſis ſolatia membris,
Te juvenem mirus quærere cogit amor.
Perge bonis avibus: claræ ſpes altera ſtirpis,
Atq; annis major jam Ludovice tuis.
Quodq; decet juvenem, per honeſtas ſer caput artes,
Quæ venit ex illis gloria, magna venit.
Longior at multo ne creſcat Epiſtola verſu,
Claudat at hic Elegos caſta Thalia meos:
O juvenis ſalve, Hutteno de ſanguine nate;
Et benè (quod votis omnibus opto) Vale.

AD TIDEMANNVM GISIVM
Dantiſcanum, Argentina in Galliam diſcedentem, Anno 1567.

Si mihi Muſarum per amœna vireta vaganti,
Grandiſonum afflaret docta Thalia melos:
Quale ſuo quondam dictavit nempe Maroni,
Heroa ut cecinit Bella Virumq; tuba:
Non ego nunc Elegos vili meditarer avena,
Nec facerem alternis Carmina clauda modis.
Quin potius Carmen ſublimi grande cothurno
In laudes facerem, mi Tidemanne, tuas.

Sed

Sed quia discedens peregrinas tendis in oras,
Justa mihi magni causa doloris adest.
Ergo mea Aonidas dum posco in carmina Divas,
Me tristes Elegos condere quæq; jubet.
Fortè quod alterno conscripta poëmata versu,
Non dubii quondam signa doloris erant.
Sic puto: namq; mihi nunc justi occasio luctus
Ex abitu surgit, dulcis amice, tuo.
Nec quære ulterius causam: discedis amicus,
Quo mihi nemo omnes charior inter erat:
Hîc ubi miraclum orbis, Turris celsior, ornat
Argentina tui Templa Scholasq; soli.
Est aliquid, fidum, dum vivis, habere sodalem,
Qui cupiat vitæ commoda vera tuæ.
Nam multi simulãt tua cõmoda: damna sed optant:
Talibus est toto pejus in orbe nihil.
Hi tibi promittunt simulatis mella loquelis,
Intus at in tacito corde venena parant.
Non tu talis eras, sed eras sincerus amicus,
O animæ Gisi portio magna meæ.
Ergo prius sævos Rhenus decurret ad Hunnos,
Flumina Prussiacis vel sua junget agris:
Ulla tui quàm me capiant oblivia, Gisi,
Quam mea sitq; in te magna minuta fides.

Accipe nunc abiens verum testantia votum
Hæc mea Pieria carmina lusa Chely.
Vade, Vale, Gisi: feliciter ito, redito:
O juvenis patriæ spes generosa tuæ.
Qui pulchras teneris artes sectatus ab annis,
Exoptas gemino Nobilis esse modo.
Sint procul, antiquæ qui nil nisi stemmata gentis,
Nobile nil præter nomen habere solent.
Qui clypeos gestat, variisq; coloribus ornat,
Ac vitæ sequitur deterioris iter,
Nobilis hic nuda vix dignus voce videtur:
Qui Virtute caret, Nobilitate caret.
Vade, Vale, Gisi: feliciter ito, redito:
O juvenis patriæ spes generosa tuæ.
Atq; utinam tecum fatis nil motus iniquis,
Possem longinquas ire redire vias.
Non ego nubiferas terrerer scandere rupes,
Quas habet Euganeis subdita terra jugis.
Nec fugerem æstivi ferventes temporis æstus,
Quos patitur cunctis Itala terra locis.
Sed tecum, fido tanquam comitatus Achate,
Perferrem in mediis tristia quæq; viis.
Vade, Vale, Gisi: feliciter ito, redito:
O juvenis patriæ spes generosa tuæ.

Et

Et ſive aëreas fato delatus ad Alpes,
Difficilem carpes per juga celſa viam:
Gallica ſive petes populoſi mœnia civis,
Sequana Pariſios quà rigat amnis agros;
I fatis ſemper felicibus: i pede fauſto,
Felici cunctas ſidere carpe vias.
Hoc cupit, hoc mecum votis ardentibus optat,
Argentinenſis doctior Ordo Scholæ:
Sturmius ante alios, quo Præceptore tot annos
Uſus es in ſtudiis, mi Tidemanne, tuis:
Quem calamo arguto, & brevitate imitaris acuta,
Sermo tibi ut purus cum gravitate fluat.
Vade, Vale, Giſi: feliciter ito, redito:
O juvenis patriæ ſpes generoſa tuæ.
Et nunc Alſatia quoniam diſcedis ab Urbe,
Pruſca tripons gelida quam ſecat amnis aqua.
Quò te cunq; feret rerum fortuna tuarum,
Vive diu, & ſtudiis perge vacare tuis:
Exhauſtis donec Legum tot fontibus, olim
Juridici fias gloria magna fori.
Tunc tibi non humili verſus modulabor avena,
Sed canet heroa tunc mea Muſa tuba.
Nam niſi me fallit mea mens præſaga futuri,
Tu patriæ quondam laus eris ampla tuæ.

Vtq;

Utq; è gente tua fuit olim Giſius ille,
Præſule Varmiades quo viguêre Deæ:
Sic tu Sarmatii Regis Secreta capeſſes,
Cui primum nomen Græca corona feret.
Primus hic Hungaricis Rex fato accitus ab oris,
Livones Moſchis hoſtibus eripiet.
Hæc Bella eximii Regis, Tidemanne, ſequeris:
Ille tuo ingenio præmia digna dabit.
Judicium, ingenium, linguarum dona q; ſignant
Concurſu aſtrorum te meliore ſatum.
Hei mihi, num Moſchis devictis hoſtibus olim
Regia præbebit Riga tibi tumulum?
Sit ſua cuiq; dies: Mors certa: incerta ſed hora:
Interea hoc vitæ quiſq; feramus onus.
Vade, Vale Giſi: feliciter ito, redito:
O juvenis patriæ ſpes generoſa tuæ.
Quod ſupereſt, precor, arctum noſtri fœdus amoris
Ingenua ut ſerves ſemper ubiq; fide.
Nam licet hinc abiens, hæc docta Lyceaq; linquens,
Subtrahis aſpectu te, Tidemanne, meo:
Ipſa meos tamen ante oculos tua ſemper imago
Stabit, & immemorem non ſinet eſſe tui.
Jamq; Vale: & placida ſumens hæc carmina mente,
Scribere ſincerus quæ tibi juſſit amor:

Vive

Vive diu, Hermanni memor, ô Tidemanne, Boruſſi
Te quia conſtanter diligit ille: Vale.

IN ANALYSIN INSTITVTIONVM

Juris, incerti Autoris: Argentinæ editam, Anno 1568.

QVI ſpernit leges, humani vincula cœtus,
Juridici tollens ſancta ſtatuta fori:
Ille velut magnum Phœbæi luminis uſum,
Creditur humanis tollere velle bonis.
Corruet in præceps fœdo Reſpublica caſu,
Ni teneat leges civica turba ſuas.
Si nequeas populos Legum cohibere tenore,
Sed laxes multis frœna ſoluta modis:
Non tibi concurrent, nec in una ſede manebunt,
Pax alma, & ſummo ſubdita turba Deo.
Jura colunt pacem: paci contraria vis eſt:
Quæ nequit impoſito ſubdere colla jugo.
Ergo Juſtitiæ divinas diſcere Leges
Eſt decus, & claris gloria digna viris.
Quis neget ætherea civilia condita Legi
Conſona? quis nullum numen habere putet?
Inſpice latarum numeroſa volumina Legum,
Invenies ſacris conſona multa libris.

Quid? quòd ad arcendos facit hæc doctrina furores?
Qui crimen vitat, tutior esse solet.
At divina sacri perdiscere dogmata Juris,
Est labor: & magnum sarcina pondus habet.
Præcipuè nulla quando ratione juventus,
Arripit oblatis obvia quæq; libris.
Nunc hos autores, oculos nunc torquet in illos,
Gaudet & incerta sæpius ire via.
Eximios optat quisquis sibi quærere fructus
Arte, nec exiguas hæc quoq; sperat opes:
Principiis insiet: nec eum præposterus ordo
E summo jubeat pandere vela mari.
Sic quicunq; cupis legum benè solvere nodos,
Et facere in medio verba diserta foro:
Inferiora legas primùm: sublimia deinde:
Talis enim veram lectio præbet opem.
Ecce tibi prodit mira brevitate libellus,
Qui tibi perfacilem monstrat ad alta viam.
Sedulus hunc equidem si nocte dieq; revolves,
Maxima cum magna præmia laude feres.
Nam veluti Medicus mortali corpore secto,
Inspicit admota viscera cuncta manu:
Sic latebras liber hic, resoluto corpore, cunctas
Edocet, ut certa mens queat ire via.

Hæc

Hæc quicunq; autor nobis monimenta reliquit,
Egregium docta nomen ab arte refert.
Illius & nomen cùm fama obscura recondat,
Ars hæc præclari muneris instar erit,
Intereà summis, Richi, quia viribus, ac vi
Purgasti à mendis hæc monimenta suis:
Tuq; indefessum adjungens Kilwalde laborem,
Juvisti hunc magna sedulitate virum:
Gratia erit vobis, atq; immortalis habenda:
En venit ambobus non moriturus honos.

AD GVLIELMVM RONINGVM
Convictorem suum Basileæ: à Sponsa sua peregrè abeuntem.

CVR Virgo tacitos tristi sub corde dolores
Versat? cur mœstos exprimit ore sonos?
Cur invita sales cunctos, invita lepores
Promit? & afflicto pectore dat gemitum?
Agnosco causam: tempus quia venit iniquum,
Acceleras abitum quo, Gulielme, tuum.
Nam quia sua viloquæ te flexit forma puellæ,
Movit & hanc vultus forma benigna tui:
Spicula de plena, quam gestat, ducta pharetra,
Torsit in amborum pectora sævus Amor.

Hæc referunt blandæ veriſsima ſigna puellæ,
Quêis abitum deflet, dulcis amice, tuum.
Et licet ignores minimè, quod maximus urat
Hanc amor, ardenter quam ſine fine cupis:
Attamen ut reliqui fieres quoq; certus amoris,
Quem forſan tacita mente puella fovet:
Hæc tibi ludendo gratans ſponſæq;, tibiq;,
Compoſui alternis carmina juncta modis.
Vive diu: annoſam luſtris tua Virgo Sybillam
Æquet: te Pylios opto videre dies.
Interea Hermanni non immemor eſto Boruſſi,
Ex animo nam te diligit ille: Vale.

IN PHILAVTIAN: SIVE In Amorem ſui ipſius.

Fallitur ô nimium proprii ſub imagine amoris,
Qui ſibi ſublata mente placere ſolet.
Quod vitium velut eſt omni execrabile in ævo,
Sic juveni ſummum dedecus eſſe reor.
Dum ſe Narciſſus nitida ſpeculatur in unda,
Ipſe ſui ſtulto captus amore perit.
In floremq; ſui mutatus nominis, ecce
Poſtremus caules tollit in arva ſuos.
Unde monet primis ne noſmet amemus in annis,
Ingenio vires commemorante ſuas.

Namq;

Namq; velut pleni non sunt in Vere racemi,
Vlla nec æstivo tempore poma legis:
Poma sed Autumnus, maturaq; advehit uvas,
Tunc ubi frigoribus cana propinquat hyems:
Sic quoq; maturis studiorum fructus in annis,
Plenior exculto cernitur ingenio.
Qui sapis, oro tui ne decipiaris amore,
Si studiis quæris præmia multa tuis.

NOBILISSIMO IVVENI, GOSWI-

NO KETLERO *Westphalo, Basilea discedenti, Anno 1568.*

QVI prius heröi clara tibi stirpe propinquo
Gothardo, tellus quo nunc Curetica gaudet
Principe, gratantes meditabar carmine Musas,
(Quarū nulla tamen mihi nunc exempla supersunt,
Abstulit hæc via longa, & duræ injuria sortis)
Tunc ubi visus erat tædas celebrare jugales,
Regius ad gelidam quà Mons extenditur Arcton:
Iidem hæc heroo nunc vota propemptica versu
Scribo, tuumq; meis abitum, Ketlere, camanis
Prosequor, Helvetia quando discedis ab Vrbe,
Quam Rhenus mediam liquidis intersecat undis.
Vade bonis avitus, patrias te visere sedes

Inco-

Ergo tibi fauſtum fatis felicibus annum
Opto, tuos vitæ curſus, tua facta ſecundet,
Non Deus ille bifrons, quem priſcæ inſania gentis
Claudere, & excelſi recludere limina cæli
Credidit, ô nimio mentis deluſa furore:
Sed Deus ille animi votum tibi proſperet omne,
Cujus in imperio vaſti ſtat machina mundi,
Cujus & ad nutum tonat alti Regia cæli.
Hoc duce docta facis feſtivo carmina verſu,
Carmina blandiſoni murmur referentia rivi.
Huic noſtræ vigilent ſtudio conſtante Camœnæ,
Qui facit ut pulſis humano è pectore curis,
Enthea Phœbæam ſpirent præcordia flammam.
Inde fit, ut verſus manantis fluminis inſtar
Vatibus occurrant, quos dius corripit ardor.
Ille Sopocleis ornat ſua verba cothurnis,
Eloquioq; tonat, rutili ceu fulmen Olympi.
Hic lenes Elegos atq; aſperitate carentes
Concinit, arguto tingens ſua dicta lepôre.
Non iſthæc hominum certa ratione, vel arte
Proveniunt: (quamvis arti locus eſſe putatur)
Spiritus intus agit, noſtriſq; allabitur auſis.
At nunc fatidici quando ornas Carmina Regis,

Diſpa-

Dispare quem versu, & vario velamine comptum
Musa Caledoniis Bucananica protulit oris,
Carole, te sacri circumdet flaminis aura,
Cujus ab afflatu genuinos reddere sensus,
Atq; operi possis mansuram adjungere laudem.
Quin & divini Proles æterna Parentis
Te regat, intacto peperit quam corpore, nulli
Mista viro Virgo: tantæ cunabula Prolis
Unanimes uno nuper celebravimus ore.
Quod restat, cepti non immemor esto laboris,
Carole, & exiguos Psalmis præfigito versus,
Mens rudis unde sibi fructum decerpat & usum.
Nève reluctetur pulchro mens fessa labori,
Intende ingenium summis conatibus ac vi.
Sic labor iste tuus longè lateq; patebit,
Et tua clarescet fama adventantibus annis.
At nomen, Bucanane, tuum quo carmine laudē?
Quive tuas astris Musas sublimibus æquem?
Hoc opus eximia tu dexteritate politum,
Insigniq; nitens cultu mortalibus ægris
Profers, præstantiq; facis te prole parentem.
Cedite scriptores procul hinc, procul este profani,
Quorum cura sacris nunquam fuit addita rebus.

Sacra decet ſacros tractare poëmata Vates,
Quandoquidem hos ſupera cæleſtis flatus ab arce
Excitat, & læto mentem ſpiramine replet.
Nunc cape Parnaſi decerptam in vertice ſtrenã,
Carole, Pieridum quam texuit una Sororum,
Et tibi ferre dedit ſinceri pignus amoris.
Carmine præſtantes, & dignos laude Poëtas,
Vt colo, ſic illos conceſſis æmulor auſis:
Si natura volet, ſtimulos dabit æmula Virtus.
Jamq; Vale, & ſtudii ſerva communis amorem.

IN THEATRVM GALENI MEDI-cum, Aloiſii Mundellæ.

QVæ prius immenſum fuerãt diſperſa per orbẽ,
Multa Machaonio contexta voluminа filo,
Hæc incluſa ſuo præſtans Mundella Theatro
Nunc habet, hoc multos inſigni munere donat.
Sicut enim certa ductus regione viarum
Optatam gaudet citius contingere metam:
Haud ſecus hic docti clariq; voluminis Autor,
Protulit egregiam veris è fontibus artem,
Et varias latebras ſcrutanti mente peragrans,
Perfaciles aditus ad maxima quæq; recluſit.

Accipe

Accipe nunc igitur clari monimenta laboris,
Quisquis Apollinea commiscens pharmaca dextra,
Materiem varii discis depellere morbi.
Certa tenenda via est: magnos morbosq́, dolores q́
Auferet haud rectè qui incertus semper oberrat.
Quin potius quisquis miseris temerarius ægris
Applicat audacem confisso pectore dextram,
Servabit paucos, multosq́ immittet Olympo
Ante diem: & viridi præcidet fila juventa.
Tanta molis erit medicos tentare labores.
Ergo ne nimium perplexo errore trahatur
Huic studio primis quicunq́ assuescit ab annis,
Adsit, & hîc ipsis è fontibus hauriat artem,
Quam Deus atq́ sagax hominum natura creavit.
Sæpius hoc cupida qui inviset mente Theatrum,
Et rerum seriem studio vigilante revolvet,
Ille Machaonias artes, camposq́ Galeni
Ingressus, magna se dexteritate beabit.
Interea Autori grates persolvere dignas
Sit memor: atq́ illum justo amplectatur amore,
Qui magno sumptu, summo studioq́, fideq́
In lucem hoc clarum fecit prodire Volumen.

CARMEN GRATVLATORIVM,

CLARISSIMIS VIRIS, PHILIPPO CAMERARIO IOACH. F. & Samueli Grynæo Simonis F. Doctoralibus I. V. insignibus, à præstante viro Casparo Hervagio Doctore I. V. consultissimo, in inclyta Basilienſium Academia 3. Kal. Iulii Anno 1569. ornatis.



ORTE ſub umbroſa capiebã fronde quietẽ,
Qua nemus arboribus denſum eſt, lenique ſuſurro
Byrſa fluit, lubricis humectans prata fluentis.
Ecce ſed ut grata jaceo exporrectus in umbra,
FAMA volans liquidi per cærula nubila cæli,
Viſa mihi: hæc tenues alis pernicibus auras
Diſpulit, & totam pennis agitata per Vrbem,
Quam Rhenus lavat, & mediis interſecat undis,
Clamorem in vulgus ſparſit, quo Rhenus, & ipſa
Helvetia inſonuit: venitq; ad ſidera rumor.
Agnovi cauſam, rumoris præſcius hujus.
Namq; animi egregios, & non virtutis egentes
Profert læta viros lux, quos non vana cupido,
Sed virtutis amor primis ſtimulavit ab annis,
Et nunc perpetuum vitæ diſpenſat honorem.

Namq;

Namq; per immenſos Juris, Legumq; labores
Jactati, optatam ut poſſent contingere metam,
Ingenii totis ſunt nixi viribus, ac vi:
Inſignes ambo, atque annis florentibus ambo.
Ergo non minimum decus eſt, nec gloria parva,
HERVAGI Caſpare, tua hæc: titulosq;, decusq;
Tu tribuis: magna juvenumq; aſtante caterva.
Præſtantes virtute viros præſtantibus ornas
Muneribus: ſurgent hinc illis, maxima ſurgent
Præmia, conſiliis horum Reſpublica quando
Inſtrepitu, & clamore fori, vulgiq; furore,
Nitetur, firma tanquam ſuffulta columna.
Macte animo, & claro CAMERARI nate parẽte,
Cujus fama viget totum diſperſa per orbem,
Quemq; tot ingenii commendant ſcripta ſagacis,
Digna legi, & quovis vulgari digna ſub orbe,
Salve, & gratantes portantia carmina voces
Excipe: ſincerus namq; hæc tibi ſcribere candor
Juſſit, amicitiæ confirmans vincula noſtræ.
Quos tibi nunc defert, clari Doctoris, honores,
Inclytus & docta venerandus in arte Senatus,
Hoſce bonis avibus, dextris atq; accipe fatis.
Eſt tibi mens ſolers, variarum & plurima rerum

Cogni-

CARMEN GRATVLATORIVM,

CLARISSIMIS VIRIS, PHILIPPO CAMERARIO IOACH. F. & Samueli Grynæo Simonis F. Doctoralibus I. V. insignibus, à præstante viro Casparo Hervagio Doctore I. V. consultissimo, in inclyta Basilienſium Academia 3. Kal. Iulii Anno 1569. ornatis.



ORTE ſub umbroſa capiebã fronde quietẽ,
Qua nemus arboribus denſum eſt, lenique ſuſurro
Byrſa fluit, lubricis humectans prata fluentis.
Ecce ſed ut grata jaceo exporrectus in umbra,
FAMA volans liquidi per cærula nubila cæli,
Viſa mihi: hæc tenues alis pernicibus auras
Diſpulit, & totam pennis agitata per Vrbem,
Quam Rhenus lavat, & mediis interſecat undis,
Clamorem in vulgus ſparſit, quo Rhenus, & ipſa
Helvetia inſonuit: venitq; ad ſidera rumor.
Agnovi cauſam, rumoris præſcius hujus.
Namq; animi egregios, & non virtutis egentes
Profert læta viros lux, quos non vana cupido,
Sed virtutis amor primis ſtimulavit ab annis,
Et nunc perpetuum vitæ diſpenſat honorem.

Namq;

Namq; per immenſos Juris, Legumq; labores
Jactati, optatam ut poſſent contingere metam,
Ingenii totis ſunt nixi viribus, ac vi:
Inſignes ambo, atque annis florentibus ambo.
Ergo non minimum decus eſt, nec gloria parva,
Hervagi Caſpare, tua hæc: tituloſq;, decuſq;
Tu tribuis: magna juvenumq; aſtante caterva,
Præſtantes virtute viros præſtantibus ornas
Muneribus: ſurgent hinc illis, maxima ſurgent
Præmia, conſiliis horum Reſpublica quando
Inſtrepitu, & clamore fori, vulgiq; furore,
Nitetur, firma tanquam ſuffulta columna.
Macte animo, & claro Camerari nate parẽte,
Cujus fama viget totum diſperſa per orbem,
Quemq; tot ingenii commendant ſcripta ſagacis,
Digna legi, & quovis vulgari digna ſub orbe,
Salve, & gratantes portantia carmina voces
Excipe: ſincerus namq; hæc tibi ſcribere candor
Juſſit, amicitiæ confirmans vincula noſtræ.
Quos tibi nunc defert, clari Doctoris, honores,
Inclytus & docta venerandus in arte Senatus,
Hoſce bonis avibus, dextris atq; accipe fatis.
Eſt tibi mens ſolers, variarum & plurima rerum

Cogni-

Cognitio: hanc cautis ornat prudentia verbis.
Ha tibi sint comites: his cinctus salva tenebis
Omnia, quæ vastum Juris tibi proferet æquor.
Tu modò habe justas, nec iniquas suscipe causas.
Sed quid ego hortator? tibi virtus ipsa, Philippe,
Hortatrix: bonitas naturæ cætera nescit.
Non tantùm immensi legisse volumina Juris,
Cura tibi: sed enim longinquas impiger oras
Perspicis. Italiam quondam peregrinus adisti:
Atq; ibi te dulci propè sors fraudaverat aura.
Quos mihi tu casus? quæ damna exhausta solebas
Commemorare? quibus jactatum te scio fatis?
Dum vagus hospes adis populosa mœnia Romæ,
Captus es, invidiaq; illorum carcere clausus,
Qui Romam totam falso clamore replebant,
Quòd tuus hæreticos pater inter maximus esset,
Qui calamo, & totis auderet viribus omnem
Catholicam q; fidem, veteresq; evertere cultus
Sacrorum, toto observatos antea in orbe.
Sed tua mens recti sibi conscia, territa casu
Non fuit in tali: at cordato pectore mansit.
Ergo Papa quam vis tibi conciliare volebant
Summum odium, fratres illi, quos rasa corona
Virgineos notat esse omnes, qui pene per omnem

Sunt

Sunt celebres mundum, miracula vivaq; patrant:
Quamvis turba tuo patri hæc infensa, Philippe,
Tunc fuit, insidias vitæ tibi struxit & omnes,
Tu tamen & patrem insontem, & simul esse docebas
Criminis expertem: nil Romam, nilq; sacratum
Pontificem contra hæreticis sparsisse libellis.
Imò Cuculligeros, rara eruditione quòd essent,
Raraq; simplicitas, & rara modestia in illis,
Laude tuum rara patrem celebrasse probabas.
Edicto Imperii at cautum omnibus, ut sua cuiq;
Libera Religio, Fidei sit liber & usus.
Ecce autem subitus concussit Nuncius omnem
Adversam turbam, ne qua tibi parte noceret.
Namq; sub id tempus, dum Misnica fortè per arva
Cardineus tendit Legatus, sternitur ille
Inter Tyrigetas, urbi contermina Calæ
Quà sylva est: magno vivus, Legate, periclo
Eriperis, servis inopino Marte peremptis.
Quis fuerit stragis, quis tantæ cædis & autor,
Incertum: & fama est facti suppressa nefandi.
Hic casus sævæ fregit conamina turbæ,
Teq;, Philippe, aliquam jussit sperare salutem.
Nam mox Saxonicis Princeps Septemvir in oris,
Te repetit captum: te propter Cæsaris omnem

Poſcit opem: contra quòd publica jura viarum,
Securus debet quas carpere ubiq; viator,
Advena Romana eſſes captus in Vrbe, Philippe.
Quin etiã Princeps, quem Bavara terra veretur,
Sedis Apoſtolicæ Dux obſervantior unus,
Pontificem hortatur, per Relligionis amorem
Communis, faciles Monachis ne præbeat aures:
Mutua neu violet tranquillæ fœdera pacis,
Præcipitive animo vita tibi deneget uſum.
Atq; ita cura Ducum, Magnatum & juſſa ſeverã
Te repetunt ſalvum, patrioq; in limine ſiſtunt.
Hæc ſubiiſſe juvat: dulce eſt meminiſſe dolorum,
Nube ubi diſcuſſa, ventis afflamur amicis.
En nunc adverſæ, poſt dura pericula, ſortis
Surgit honos, nomenq; tibi, laudeſq; parantur.
Ipſi te Heroës conſulta ad maxima poſcunt:
Marchio te præſtans Phorcenſi exoptat in aula.
Et decus, & laus eſt, Heroum ad tecta vocari.
Sed Camerariadum nomen quoq; floruit olim,
Imperii Henricus dum Claudus ſceptra tenebat.
Quæſtor erat quondam, qui nunc Camerarius eſſe
Gaudet, ab antiqua ducens primordia ſtirpe.
Nec tu carminibus, Grynæe, tacebere noſtris:
Qui te vitales genitor produxit in auras,

Gry-

Grynæus, nulli fuit is virtute secundus,
Ingenio præstans, ipsis vir major & annis
Claruit, atq; sui fuit haud flos infimus ævi.
Maximus ille olim, ni mors inimica fuisset,
Ante diem & viridi incidisset stamina vitæ.
Hic velut ingenio, solida pollebat & arte,
Sic, imbutus erat qua primis parvus ab annis,
Relligionis amans fuit hujus, pendet ab uno
Quæ Christi merito: multa autem inventa relinquit,
Ordo Cuculligerûm quæ deses finxerat olim,
Et quæ sunt veterum scriptis quoq; dissona Patrum.
Urbs antiqua jacet sinuosi ad flumina Rheni,
Spiram turba vocat, Grajo sic nomine dictam:
Quòd Romana cohors fuit his in finibus olim.
Huc quondam insignis Procerum convenerat ordo,
Imperio accitus, dum, Carole, sceptra tenebas
Cæsaris: huc etiam doctorum turba virorum
Venerat, ut magnas posset componere lites.
Dum fremit, audaciq; oppugnat scripta Lutheri
Relligio Romana, & magnas asperat iras
Clerus, iis nitens quæ tradidit alta vetustas,
Quæq; prius fuerant totum servata per Orbem,
Condemnansq; novi nova dogmata oborta Lutheri;
Tunc, Simon Grynæe, tibi memorabile quiddam

Accidit: in toto fama eſt notiſſima mundo.
Qui docet humanos cæleſtia dogmata cœtus,
Cæſareus fuerat veneranda mente Miniſter,
Qui Fabri obſcurum Stapulenſis nomen habebat.
Huic diverſa olim fuerat ſententia menti,
Quando Schola vixit, Grynæo junctus, in una,
Hunc ubi Grynæus dictis hortatur amicis,
Ad ſeſe ut redeat, mentem repetatq; priorem:
Ille docens aliter, veterum veſtigia Patrum
Priſca ſequi ſeſe probat: atq; haud multa locutus,
Infandam mortem veteri meditatur amico,
Inſtructuſq; dolis abit: & mox Cæſaris omnes
Extimulat proceres, Grynæum ut morte trucident
Hæreticum, quo non major foret alter in Orbe.
Addit ſe Fabro comitem, acreſq; aggerat iras
Turba Cuculligerûm, calamo quæ paſſa Lutheri eſt
Inſignem cladem, & jamdudum fortè periſſet,
Huic niſi ſuppetias Fratrum Ordo tuliſſet eorum,
Qui reliquos Monachos doctrina et moribus anteit,
Atq; ſibi nomen tribuit de nomine Jeſu.
Si tales olim tunc ætas illa tuliſſet,
Relligionis erant quando certamina oborta,
Vix tanta Monachi cecidiſſent fortè ruina.
Barbaries lapſum dedit illis deſidioſis,

Et

Et gula doctrinam, & mores corrupit honestos:
Vnde fuit labi simul atq; errare necesse,
Tantus vbi luxus vitiatum invaserat ævum.
Namq; hinc orta fames auri, descendit ad imos
Inferni Manes, Venasq; ibi repperit auri,
Elysia in valle, & flamma purgante probati,
Ex quo animæ miseræ didicerunt cudere nummos,
Multaq; miserunt fulvorum millia nummûm,
Vt citius possent superas evadere in auras.
Talis erat Sarepta, & Vena metallica quondam,
Quam scrutator opum, è flammis alimenta, cibumq;
Ore petens quidam, in descensu invenit Averni.
Hanc tamen Æneas, quamvis Acheronte sub imo,
Fatali ductus virga, & monstrante Sybilla,
Lustraret valles omnes, lucos & opacos,
Indigus æris erat licet ob fera bella futura,
Non potuit Venam, non hæc reperire metalla.
Sed saltem scelerum varias expendere pœnas
Diverso invenit detentos Carcere Manes.
Hic num sit Limbus, quem quædam obscura vetustas
Credidit, & quidam veterum statuêre Sophorum,
An sit tale aliquid, quid sit, quibus Orbis in oris,
Dissidium obscurum Gentes olim extitit inter.
At tandem lis hæc Christo victore dirempta est,

Pro nobis Stygias qui mortuus ivit ad undas,
Inde Triumphator victo regressus ab Orco,
Credentes animas altum conscendere cælum,
At placida corpus jussit requiescere pace:
Donec Judicij cùm venerit hora supremi,
Judicet ipse simul vivos & lumine cassos.
Frustrà ergo Elysiis ex vallibus æra parantur,
Et benè res istæc paulatim hoc tempore cessat,
Dum serò incipiunt homines meliora videre:
Nulla salus emitur, non ulla redemptio in Orco est.
Prima mali hinc labes: hæc Relligionis erat q̃
Causa tot in partes scissæ: Et sic numine quodam
Fatorum factum est, Monachus Defector ut unus
Surgeret: & primùm Elysias everteret umbras,
Deinde suos fratres sua rumpere vota juberet.
Noluit hic Voto sterilem consumere vitam,
Primus & in nuptas Moniales nubere jussit,
Atq̃ unam thalami sibi junxit amore jugalis.
Hinc magis atq̃ magis miserandam prisca ruinam
Relligio traxit: meritò q̃ hinc Clerica turba
Grynæum contra ingentes conceperat iras,
Ille quòd Helvetia Monachos regione fugasset,
Buceri, auxilio & Zwinglii, qui (suasit ut armis
Subdere relliquias Romanæ Relligionis,

Quæ

Quæ quinq; Helvetia in Pagis immota remansit,
Præruptos inter montes, rupesq;, lacusq;)
Ante aciem primam, primus primo occidit ense,
Atq; penes Pagos mansit victoria quinq;.
Exinde Helvetii divisi Relligione,
Mutua sese inter pepigerunt fœdera pacis,
Communi auxilio, & conjunctis viribus alma
Pro patria ut pugnent contra omnes fortiter hostes:
Quisq; sua imbutus sed vivat Relligione,
Sitq; nefas Fidei ergô sæva recurrere ad arma.
Tantæ molis erat Pagos invadere quinq;.
Facta sed est quanquam Pax Relligionis utrinq;,
Attamen hinc atq; hinc odiũ ingens mansit in Orbe,
Hos contra, Fidei per quos mutatio facta,
Jussit ab Helvetiis Monachos expellere terris.
Quos inter fueras siquidem, Grynæe, repertus
Spiræ, in Conventu, casus tristissimus hîc te
Fortè perempturus fuerat, ni mitia cæli
Fata pepercissent te tristi perdere letho.
Jamq; parabantur diræ crudelia cædis
Supplicia, heu, Grynæe, tibi: confluxerat omnis
Lignipedum fratrum turba, unoq; ore fremebant,
Hæreticus major quòd te non esset in Orbe.
Hos inter Fabri conatus, taliaq; ausa,

Dum

Dum Grynæe ſedes, nec quicquam tale vereris,
Ecce viri ignoti præſtans apparet imago,
Viſa prius nulli, neq; pòſt apparuit ulli.
Canus erat barbam, vocem gravis, ora verendus:
Ille Fabri inſidias, Monachorum infandaq; ſenſa
Nunciat, hortaturq; fugam ut Grynæus adornet:
Ni faciat, certò venturum flebile lethum.
Paruit his dictis: ſociiſq; monentibus ultrò,
Incolumis, Rheni trajecto flumine, abivit.
At jam turba frequens, multoq; ſatellite cincta
Præſtò erat, inſontiq; viro mala multa ferebat.
Qui tulerat cladis prænuncia verba futuræ,
Non ulli viſus, neq; pòſt apparuit ulli:
Credibile eſt, illum mortali corpore caſſum,
Nuncium ab ætherea delapſum ſede fuiſſe.
Hæc aliena quidem, noſtris neq; congrua cœptis,
Sed jucunda tamen mihi viſa, & digna relatu.
Nam quoties chari ſuccurret imago parentis
Grata tibi, Samuel, animo hæc quoq; volvere geſta,
Gratum erit: admirans functi tu fata parentis,
Ex hoc virtutem diſces, verumq; laborem.
Salve nunc donis Samuel præſtantibus aucte,
Te decorat virtus, te comi gratia vultu
Ornat, & inſignes olim tibi ſpondet honores.

Dum

Dum tibi cognitio multarum maxima Legum
Nunc peperit titulos, & clari nominis usum:
Sume leves versus, gratantia carmina sume,
Quæ tibi, sed tenero malè lusi forsitan ævo.
Fretus amicitia nostra, fretusq; juventa,
Ingenio vires quando natura negavit,
Audax invitis pedibus mea carmina cogo.
Ergo meis veniam dabis, ignosceſq; Camœnis,
Si nil lucis habent: at aperti plurimus illis
Candor ineſt animi: capit & sua præmia candor.
Vive decus quondam patriæ, & præstantibus ausis
Effice, in arguto ut crescat tua gloria Jure.
Legibus humanam placidè consistere vitam,
Quis dubitat? socii sunt hæc ceu vincula cœtus.
Nullæ ubi sunt leges, ibi cedit viribus æquum:
Ergo decus magnum, civilia discere Jura.
Verùm ut nostra suum teneant encomia finem,
Præstantes virtute Viri, tot honoribus aucti,
Este salutati nunc ambo: prospera vobis
Fata precor, largis fortuna utriq; quadrigis
Affluat, & vestro cumulum superaddat honori.
Et quoniam vestri vobis præclara parârunt
Ad titulos exempla patres, horum esse decebit
Vos nunquam immemores, famæq; inhiare paternæ.

Discite IVSTITIAM, *civiles pergite Leges*
Volvere, nulla animos capiant fastidia vestros.
Ardua res Leges: Jurisq; scientia latè
Diffusa est, magnaq; latens sub mole librorum,
Non nisi maturo perfecta acquiritur ævo.
Clare Vir, & famam, Camerari, nacte perennẽ,
Et tu perpetua, Samuel, dignissime laude,
Dum vestra auratis stringuntur tempora sertis,
Famq; omnes adeunt lætæ convivia mensæ,
Vivite, amicitiæ servantes fœdera vestræ.
Vobis partus honos, mansuræ & gloria famæ.
Quod superest, memores Hermanni estote Borussi:
Atq; inter vestros hunc si numeratis amicos,
Hoc capite æterni monimentum & pignus amoris.

EPITHALAMIVM CL. V. SAMUELI Grynæo: I.V.D. & Professori in Academia Basiliensi: & Elisabethæ Bavaræ: Sponsis.

NEscio quo nuper mea mens ut ducta furore,
Arsit ad Aonii loca florentissima montis
Tendere, ubi doctæ plectentes serta Camœnæ,
Ingenuos Vates lauro viridante coronant:
In Somno Aonium vera sub imagine montem
Visus eram petere, & Basilea excedere ab Urbe.

Prima

Somnium de Via ad Virtutẽ & Musas.

Principiò porta egredior, quæ tendit ad ortum:
Hæc via plana fuit, latos extensa per agros.
Dum verò ulterius pergo, mihi semita stricta
Cernitur, & spinis, & densis plena rubetis.
Hæc via difficilis: vestigia nulla rotarum,
Nulla pedum vidi: pergo tamen ocyus ire:
Quòq; magis pergo, minor est mihi semita visa.
Apparent tandem fauces, angustaq; porta:
Qua datur & Phœbũ, & virtutes quærere summas.
Mons erat Aonius, qui celsa cacumine tangit
Astra, novemq; fovet, supremo in vertice, Musas.
Nullum iter in montem hunc tritum est: & semita nulla:
Contiguas sed enim per rupes lõga gradatim
Scala velut surgit: nitor manuumq;, pedumq;
Viribus, ut summum possim contingere culmen.
Ecce sed haud segni prærupta cacumina gressu
Dum supero, bifidi lassusq; in vertice Montis
Sisto, novenarum residens ibi turba Dearum,
Arguto insignem cecinit modulamine cantum.
Audio, & erectis sursum velut auribus asto.
Non erat humano meditatum gutture Carmen:
Nec quoq; vox hominem sonuit: divina fuerunt
Omnia, & è summo deductum carmen Olympo.
Hoc nexum vitæ quam mutuus afficit ardor,

Insertum & cunctis retulit mortalibus ignem.
Ignem intrà costas, penetralia cordis & imi,
Qui sese infundit, spargitq; per ossa calorem,
Unde oritur sociæ jus inviolabile vitæ.
Hinc ex carne sua carnem, atq; ex ossibus ossa
Vir petit, inde virum repetitq; reciproca flamma.
Non hæc humano casu, neq; sorte feruntur
Instabili, frustrà haud amor hic quoq; mutuus extat:
Autor agit Deus hunc, qui mutua fœdera primus
Sanxit, & hunc socium mortalibus indidit ignem.
Huic ubi perfecta est spacioſi machina mundi,
Altera cura fuit, tædas sancire jugales
Conjugii, & dulcem super artus spargere flammam.
Hæc ego dum Musas inter meditata videbam,
Submissa primùm voce, & ceu murmure quodam,
Protinus ante alias formosior ore Sorores,
Plectra gerens Erato, saltans pede, carmine, vultu,
Eminet, & Psalmum Cythara talem edit eburna.
Lux erat, atq; Deo somnum faciente, jacebat
Prostratus terræ sopitis sensibus Adam.
Hîc dextram Omnipotens pollenti numine firmat,
Exertaq; viro (dictu mirabile) costa,
Mox facit insignem forma præstante puellam.
Hanc homini sociam vitæ, sociamq; laborum

Jun-

Jungit, & his ambos dictis affatur amicis:
Vivite concordes, una duo corpora mente
Vivite, & innumera fœcundi creſcite prole.
Dixit: at hinc venit magnum in præcordia vulnus.
Ferreus eſt, duris genuitq́ hunc cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanaq́ aliquid de Tigride ſuxit,
Quem non legitimi delectant gaudia lecti:
Hæc Deus à prima dum ſanxit origine mundi.
Spernere divini mandata timenda parentis,
Crimen, & exitium eſt cunctis mortalibus ingens.
Qui ſpurcis inhians, & vincla jugalia temnens,
Vulnus alit venis, vetitoq́ libidinis igni
Adjicit illicitos auſus, indignus Olympo:
Haudquaquam ſeſe hic aſtris ingentibus addet.
Felix ergo animi, vero quicunq́ timore
Proſequitur Dominum cæli, terræq́ potentem:
Rimaturq́ vias vitæ melioris, in illiſq́
Ambulat. Hic dapibus manuum ſudore paratis
Veſcetur: conjunx hujus ceu Vitis abundans
Ædibus in mediis, & nata è conjuge proles
Palmitis inſtar erit: jucundoq́ agmine menſam
Cingent filioli geniti, genitæq́ puellæ.
Talis erat Pſalmus, (niſi fallor) in Aone Monte,
Ante alias Erato cecinit quem prævia Muſas,

Phœbea ludens Cythara: ſonus undiq; circum
Fuſus erat, magnoq; fremebant omnia plauſu.
Tandem ubi per totum ſunt facta ſilentia montem,
Et tacuêre omnes, Phœbo monitore, Camœnæ,
Me, cui mens nimio Muſarum ardebat amore,
Talibus aggreditur dictis venerandus Apollo,
Cui quondam nemore in Grynæo ſacra ferebant
Cives Æoliis Grynæi in finibus orti.
Quis novus his noſtris ſuccedis ſedibus hoſpes?
Aut quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos? & ſacri culmina Montis
Adventu turbare tuo? nos dia propago
Namq; ſumus: tu ſed mortali es ſemine cretus.
Obſtupui hac voce: at poſita formidine tandem,
Sumo animum, atq; oculos attollens, talia reddo.
O lux Pieridum, ſpes ô fidiſſima Vatum,
Phœbe pater, ſi das docti mihi carminis uſum,
Da mihi te facilem, dederis ſic omnia, Phœbe.
Non mea me nimium confiſa audacia veſtras
Juſſit adire domos: Muſarum percitus œſtro
Huc feror excelſi ſuper ardua culmina montis.
Poſco tuum numen: nullam fac, Phœbe, repulſam
Ut patiar, mea ſic ſerò venientibus annis,
Numinis auſpicio Phœbi ſe gloria tollet.

Da pater, ut pulsis humano è pectore curis,
Nunc mea Phœbeam spirent præcordia flammam,
Dum sacra legitimæ Grynæus fœdera tædæ
Sponsus inire parat: quo non mihi charior alter
Extat amicus in his Basileæ mœnibus Vrbis.
Annuit, & radios circum caput omne micantes
Extulit: illustres divinum vertice odorem
Spiravêre comæ: lucis circumdor amictu
Vndiq; Apollineam agnoscens sub pectore flãmam.
Bis conatus eram visum comprendere Phœbum,
Bis Phœbus dictis conantem reppulit istis.
Parce puer sacrum manibus contingere numen,
Sors tua mortalis: non est mortale, quod optas.
Sat tibi sit, nostris quòd junctus amore Camœnis,
Inter honoratos laudem mereare Poëtas.
Cætera parce puer: vultum attrectare Deorum
Non datur: at veras audire & reddere voces
Fas homini: Vade, & concessis utere donis:
Grynæoq; refer Samueli, visus Apollo
Quòd tibi Grynæus sit in Aone monte, novemq;
Aonides visæ Psalmum cecinisse puellæ,
Conjugio prima inscriptum sub origine mundi.
Dixit: & auratis sublatus in ardua pennis
Nubila, sidereo radians successit Olympo.

Jamq;

Jamq; Dei dono, atq; insigni lætus honore,
Descendo Aonii summo de vertice montis,
Atq; pedem refero per rupes, strictaq; porta
Claustra, ad virtutes ascensus quà datur altas.
Hinc quoq; per spinas, per acuta rubeta q;, portam,
Quà gressum extuleram, repeto, & vestigia retrò
Observata sequor, campisq; patentibus erro.
Utq; iter emensus, Basilea mœnia rursum
Exitus Somnij. *Visus eram intrare, è somno simul excitor alto,*
Somniaq; hæc video præsenti prævia pompæ,
Congruaq; : in thalamos quando, Grynæe, jugales
Elisabetha tibi nunc Bavara ducitur Uxor.
Lætitia exultant, & ducunt gaudia cives,
Et juvenes plaudunt manibus, vocemq; per ampla
Atria dispergunt : totamq; agitata per Urbem
Fama volat : variisq; replet loca cuncta susurris.
Hîc domus, & locus hîc : collo dare brachia circùm
Hîc licitum : lectoq; animos recreare jugali.
Sic populus, semperq; aliquid novus addidit autor.
Ecce autem vario dum plebs rumore vagatur,
Mota sub aëriis sonuêrunt turribus æra.
Protinus ante alios præstanti corpore Sponsus
Ducitur, & magna medius comitante caterva,
Cingit odorata capitis crinale corona.

Spon-

Sponſa verecundo ſuffundens ora rubore,
Virginibus comitata ſuis, atq; ordine Matrum
Subſequitur, greſſumq; ad Templi limina torquet.
Parva mora, & ritu tædas firmante jugales
Vir ſacer, exacto, dextram conjungere dextræ
Mandat, & ad ſummum fundens pia vota parentẽ,
Conjugium dictis initum ſolatur amicis.
Et jam pompa frequens ſtratis convivia menſis
Apparat, & dapibus jejunos recreat artus.
Hic nugis, certatq; jocis: ille impiger haurit
Spumantem pateram, atq; infuſo pocula vino:
Proq; tua, ſponſæq; tuæ, Grynæe, ſalute
Multa bibens, ſeram in noctem convivia ducit.
Omnis turba tamen Sponſum, Sponſamq; ſalutans,
Hymen, ô Hymenæe, Hymen, Hymenæe canebant.
Vive diu Grynæe, tua cum conjuge ſalvus,
Quam tibi nunc jungit fatis felicibus Hymen.
Ipſe tuo faveat thalamo Grynæus Apollo,
Cujus nomen habes, quo nuper in Aone monte
Rectore, Aonides Pſalmum cecinêre Sorores
Conjugio inſcriptum: & per me tibi, Sponſe, dicatum
Carmine præſenti: felix cum conjuge vive,
Quæ tecum concors tranquillos ſuaviter annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

INTIMATIO GLADIATORIS.

Annuat huic Juno, duodena per astra relapsus
Sol ubi perficiet cursum, ut tibi parvulus Aula
Grynæus ludat, qui te blæso ore parentem
Nominet, atq; tuis figat grata oscula labris.
Quæ precor, ambobus fausto Deus omine præstet,
Cujus ab auspicio sint vestræ exordia tædæ,
Quo sine, nulli unquam benè conjunguntur amãtes.

INTIMATIO PVBLICA
Gladiatoris Literati.

QVos iterum strepitus? quæ pellibus arma movetis?
Ignavi Feles, mures consumere nati?
Si vobis Virtus animusq; in pectore præsens,
Postpositis verbis, arma armis densa ciete:
Non verbis, sævo certandum est cominus ense.
Crastina lux quando duodenam proferet horam,
Proponam variæ certamina Martia pugnæ.
Adsit, & evinctis attollat brachia palmis,
Pars adversa mihi, & pellitæ turba catervæ,
Quam contra intrepidus connixis viribus ibo,
Defendens claras, quas odit Pellio, pennas.

FINIS LIBRI PRIMI.

DANIELIS HERMANNI
NIDBURGENSIS BORUSSI
POEMATUM ACADEMICORUM
LIBER SECUNDUS:

Continens res varias in Academia Vitebergensi scriptas.

IN OBITUM PATRIS SUI CARISSIMI Andreæ Hermanni, Carmen funebre.

Umbra Patris defuncti, & filius colloquuntur.

QUid patriũ ſpectans, fili dilecte, ſepulchrum, Umbra.
Aſpicis hîc umbram, flenſq́ dolenſq́ meã?
Cur tua ſuffuſo perfundis lumina vultu?
Triſtia cur tantis fletibus ora rigas?
Quòd, pater, ante diem fato ſublatus iniquo, Filius.
In vidua linquis triſtia ſigna domo,
Hoc doleo, magnos ducens ex pectore planctus,
Hoc gemo, tranquilla nec queo mente frui.
Cur ita? nam longos qui vivere Neſtoris annos
Dignus eras, rabida morte peremtus obis.
Non obeo: triplices nec me rapuêre ſorores, Umbra.
Non mihi crudeles intulit ulla manus.
Hoc in eos juris, qui ſtulti gaudia mundi
Sectantes, ſummum deſeruêre Deum.

Aſt ego ſalvifici colui pia dogmata Chriſti,
Dum mea vitalis foverat oſſa calor.
Ante meos igitur nuper, mors improba, vultus,
Amiſit pharetræ tela triſulca ſuæ.
Filius. *Mira refers, vitam nimirum ut Parca caducam*
Rumpat, & in parvam quemq; recondat humũ.
Hæc quoq; ut in cunctos nitentes numine Chriſti,
Mortifera nequeat mittere tela manu.
Inde fit, ut lacrymis rurſus perfundar amaris,
Quòd tibi ſunt vitæ ſtamina ſecta tuæ.
Et quòd fatalem ducens mors atra catervam,
Auſa fuit lectum nuper adire tuum:
Auſuraq; manu triſtem produxerat arcum,
In fatum torquens ſpicula promta tuum.
Vmbra. *Quòd doleas non eſt, & guttas vince ſubortas,*
Non etenim tanti cauſa doloris adeſt.
Quin potius dignas divino munere grates
Funde Deo, Gnatum quòd dedit ipſe ſuum:
In cruce qui pendens, ſanctum fundenſq; cruorem,
Abſtulit à Stygiis cuncta trophæa Diis.
Atq; ita mortales, ſi fidant firmiter ipſi,
Fecit ad ætherei ſcandere tecta throni.
Huic ego credebam, dum ſpiritus oſſa regebat,
Vivus & in vivo corpore ſanguis erat.

Inde

Inde meas nuper cùm mors properaret ad ædes,
Staret & ante oculos invida Clotho meos:
Obstupuit, nixaq; Deo perterrita mente,
Nil profectura strinxerat arma manu.
Strinxerat, utq; meos telum direxit in artus,
Lurida cum telo protinus arma cadunt.
Ergo nate omnes tristi de pectore curas
Tolle, mihi solido vita vigore manet.
Vivo per æternum: cælestes occupo sedes:
Vivo, nec est vitæ pars mihi demta meæ.
Scilicet est aliquid summum timuisse parentem,
Hoc facit, ut moriens vivat, & astra colat.
Qui toto servat divinum pectore Verbum,
Claudit & in vera fata suprema fide:
Is certè Christo requiescens dormit in ipso,
Ac tantùm parva contumulatur humo.
Spiritus at summi sublatus in æthera cæli,
Perfruitur vita, Christe benigne, tua.
Donec judicii resonabunt signa futuri,
Clanget & extremum cælica turba diem:
Tunc iterum è parva vivus tellure resurgens,
Corporis assumet pristina membra sui.
Quæq; parata piis sunt prima ab origine mundi,
Gaudia cum Christo non peritura feret.

Quisquis at insani carpens deliria mundi,
Gaudet deliciis, impia vita, tuis:
Ille cadit telo mortis confixus acerbo,
In fauces nigri Dœmonis ille cadit.
Ergo qui magni contendit ad astra tonantis,
Prima sit huic solum cura timere Deum.
Filius. *O jucunda meæ dicisq; salubria vitæ,*
Care pater, certam pandis ad astra viam.
Pono igitur mœsto tristes ex corde querelas,
Quas pius, & meritò, fundere jussit amor.
Vivis, & æterno Christum veneraris honore,
Sub pedibus cernens sydera summa tuis.
Vivis & in terra: quia multas fama per urbes
Currit, & hîc totas implet ubiq; domos.
Nota tua est pietas: per cuncta tempora vitæ
Est tibi non aliqua labe peracta dies.
Nam vigil ut duras gessisti Consul habenas,
Hîc ubi sunt lymphæ, Nyda pusille, tuæ,
In te nullus erat fucus: non æquior ullus
Æqua dabat populo jura tenenda suo.
Et sic pacis amans, sic in commune laborans,
Visus es officii frena tenere tui.
Proq; pia sponsi decertans virgine Christi,
Acer in adversos ausus es ire viros.

Hinc

Hinc tibi non paucam traxisti in fervida turbam
Prælia, & hinc meritis gratia parva tuis.
At licet ingrato nullas tibi pectore grates
Pro meritis egit maxima turba tuis:
Ampla tamen magni nunc carpis præmia Christi,
Præmia, quæ cunctis sunt meliora bonis.
Forsan & est aliquis, qui te suspiret ademptum,
Ingemat & vitæ stamina fracta tuæ.
Quid memoras actam per multa pericula vitam? Vmbræ.
Dignaq; quid meritis præmia nulla meis?
Ordine justitiæ sanctos hîc præmia cœtus
Nulla manent: quamvis hæc quoq; sæpè manent:
His tamen ô multò Christus majora rependet,
Judicii summum cum dabit hora diem.
Tunc, prius ex tota qui Christum mente colebat,
Sumet ad æternam pensa voluta colum.
Quare sive mihi totus succensuit orbis,
Sive fuit vitæ sors inimica meæ:
Dum vivus soli Christo servire volebam,
Hoc satis est: justo cætera mando Deo.
Cujus ut hanc vitam serves mandata per omnem
Hortor, pars animæ si cupis esse meæ.
Plura loqui cesso: supera nam missus ab arce
Nuncius, ad sanctum me jubet ire Deum.

Vive

Vive diu fili: vesani gaudia mundi
Sperne: Deum toto dilige corde: Vale.
Filius. *Tu quoq; sed melius, quia Christum vivus Iesum*
Nunc potes æterna cernere mente, vale.
Ac placidè dormi: parvum tua membra sepulchrum
Continet, at vivum nomen ubiq; volat.
Te dolet ablatum, magno perculsa dolore,
Et petit ut patrem civica turba suum.
Flent etiam Musæ, quarum moderator Apollo
Carmen in hoc jussit scribere tale loco:

ANDREÆ HERMANNI TEGIT HIC LOCVS OSSA SEPVLTI,
QVI COLVIT VERO VIVVS HONORE DEVM.
REXIT ET HIC POPVLVM SVMMA VIRTVTE, FIDEQVE,
CONSVLIS VT FIDI MVNERE FVNCTVS ERAT.
IAMQVE DVOS ANNOS, BIS SEX ET LVSTRA PEREGIT,
CVM CECIDIT FATO, MORTE VOLENTE, SVO.
HVIVS MEMBRA QVIDEM PARVA CLAVDVNTVR IN VRNA,
SPIRITVS IN CHRISTI GAVDET AT ESSE SINV.

IOANNI HERMANNO, FRATRI suo charissimo, Monimentum.

PRussia vitales nato tibi præbuit auras,
Quà lubricus patrios Nida pererrat agros.
Te schola Teutoniæ varia, & te Gallia magna
Fovit, ubi Sequanæ Matrona miscet aquas.

Vastæ

Vasta peragrasti populosæ mœnia Romæ,
Ingenio applausit Tybris & ipse tuo.
Te stupuit Lædus, nec non Phaëtontius amnis,
Adriacus tumidis te Leo vexit aquis.
Non tibi multarum experientia plurima rerum
Defuerat, linguas sex quoq; callueras.
Post varios casus exhausta periclaq; multa,
Servire at terris dum cupis in patriis:
Obliqua invidia Æthiopis te non tulit atri,
Quem magno Regis Mons in honore tulit.
Bregela te sprevit: te Viteberga recepit:
Exul ubi à Regis Monte reversus eras.
Optata hîc tandem recubas tellure potitus:
Teq; gemit mœsta tristior Albis aqua.
Patria sic vitam dat: rarò sed dat honores:
Patria sic Christum non tulit ipsa suum.
Fœlix morte tua: nec in hos servate tumultus:
Rapte sed excelsi Frater ad astra poli.
Inde vides rixas quas toto sustinet orbe
Religio, sparsas dilacerata comas.

IN OBITVM GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS V. C.

NVper ut è vivis Vatem natura removit,
Qui de Fabricio sanguine nomen habet:
Ingemuit luctu concussa Thalia recenti,
Quosq; tulit calamos fregerat illa suos.
Delius hanc calamis solitos jubet edere cantus,
Conculcat calamos tristis at illa suos.
Quærenti causam, largis Dea fletibus inquit:
Aonii facta est magna ruina chori.
Occidit ah & fama fidem nunc servat iniquam,
Occidit ah Claria cui data palma lyra:
Fabricius, docto quo nemo purius ore
Rettulit in varios scripta diserta modos,
Seu numeros, seu vis voces spectare solutas,
Sunt Ciceronæis congrua cuncta sonis.
Sic elegis, sic ille lyra, sic carmine grandi
Pieriam poterat tangere ritè chelyn.
Tunc ubi adhuc solidæ stabant in corpore vires,
Miseni & quando Dux Heliconis erat.
Nunc jacet, & fessos sopitus claudit ocellos,
Claudere quem mundi machina tota nequit.
Magna parens tellus gremio complectitur ossa,
Cui vivus cineres voverat antè suos.
Fama sed ipsa volans cunctis clarescit in oris,
Spiritus in Christi vivit & ipse sinu.

Catera

Cætera qui neſcit, tua Curio ſcripta requirat,
Diſcipuli ingenuus quæ dare juſſit amor.
Fabricius Clariis te quondam aſperſit ut undis,
Quà ſcatet Aonia vena perennis aquæ:
Sic pius in manes, defuncti & fata Magiſtri,
Aſpergis numeris buſta ſuprema tuis.
Quod facis, hoc juſtum eſt, & grati munus alumni:
Hei mihi quam paucis gratia talis ineſt!

AD NOBILEM, ET POETICES gloria clarum Fridericum à Noſtitz, de Lampersdorff.

FOrtè quieſcebam Claria projectus in umbra,
Plenus Apollinea quà fluit amnis aqua.
Hìc ſacra Melpomene fragranti inſtructa corolla,
Viſa mihi, ad frondes florida Laure tuas.
Mirabar, penitusq; omni formidine pulſa,
Auſus eram tali ſolvere labra ſono:
Sic te perpetuo vates venerentur honore,
Sic faveat formæ pulcher Apollo tuæ:
Dic Dea, cur portes Lauri de fronde coronam?
An novus hac vates nunc decorandus erit?
Illa refert ridens: Juveni hæc dabo ſerta Boruſſo,
Qui de Noſtitia ſtemmata ſtirpe trahit.

Nobile quem ſtemma, ingenium quem nobile cogit
Mitia Pierii regna ſubire chori.
Cujus in agnatos verè officioſa voluntas,
Triſtibus ex elegis conſpicienda datur.
O utinam illius veſtigia clara ſequantur,
Nomina qui veræ Nobilitatis habent.
Non ita barbaries recti ſub imagine & æqui,
Multos inverſa cogeret ire via.
Qui velut elata ſufflati fronte feruntur,
Hoſce ſui ſtultus ſic quoq; fallit amor.
Diſpereat, lucri quicunq; cupidine flagrat,
Et trutinat doctas vtilitate Deas.
At vivat, famamq; ſimul laudemq; reportet,
Ad ſacra Gorgoneus quem vada vexit equus.
Hæc ait, amplexuq; dato mihi, Te quoq;, dixit;
Diligit Aonii turba novena chori.
Viſa hæc præteritis mihi ſunt, Friderice, diebus,
Hæcq; libet numeris commemorare meis.
Tu perge, & nomen Muſis præſtantibus orna:
Quæ venit ex illis fama, perennis erit.

AD CL. V. PHILIPPVM CAMERARIVM, Joachimi F. Jureconſultum, Norimbergæ Nuptias celebrantem Anno 1571,

CARMEN NVPTIALE.

Sol

SOL nuper geminos emensus ut æthere Pisces,
Nobile Phrixeæ vellus adusſit Ovis:
Æquabatq; dies nocturnas luce tenebras:
(Portitor hoc Helles, Libraq; juris habent)
Fortè exundantem paulùm spaciabar ad Albim,
Hîc ubi Castalijs Mons scatet albus aquis.
Multa gemens, curis tundebam pectus amaris,
Tempore fortunæ conveniente meæ.
Sæpè vel invitam flens impellebar ad iram,
Jadebatq; sacras me coluisse Deas.
Sæpè ubi constiterant hinc Musæ, Bella sed illinc:
Mars placuit: doctæ displicuêre Deæ.
Nam quasi mentis inops, reflantibus undiq; ventis,
Humanisq; ferè sensibus orbus eram.
Ergo ego perpetuis curarum fluctibus angar?
Nec dabitur studijs hora quieta meis.
Vndecies totum Sol perlustravit Olympum,
Verq; novo lætam gramine vestit humum:
Cùm puer è patria longinquas missus in oras,
Mille viæ casus, mille pericla tuli.
Nunc ego tantorum causas (labo dolorum,
Ne refricent Elegi vulnera prisca mei.
O cur propositum non ursi? nuper in armis
Dum licuit dubias Martis adire vices.

Non animus vitæ contemptor defuit unquam,
Non adeo adversi tela tremisco viri:
Testes vos animæ, nunc cæsa inhumataq; turba,
Me Belli timidas non habuisse manus.
Ipse ego jam fueram lorica instructus, & ense:
Et globus, & nitri copia prompta fuit.
Jam capiti aptabam galeæ munimen ahenæ,
Et finxi vultus asperitate truces.
Mox & equo vectus succusso lilia collo,
Optabam cupidas inter habere manus.
Sed vetuit Pallas, dum nuncia fama ferebat,
Fratrem Leucoreis occubuisse plagis.
Hunc germanum, omnis curæ casusq; levamen,
Tunc mihi sub leges Mors tulit atra suas.
Ergo relliquias, & humati funera fratris,
Quærere me lævo numine suasit amor.
Et grave pondus erat causæ, quam flensq;, dolensq;,
Non video quantis exuperem lachrymis.
Inveni sparsum guttarum rore sepulchrum,
Quod lavat affusa tristior Albis aqua.
Heu quantos una finissem luce dolores,
Ni foret inceptis Pallas iniqua meis.
Forsitan aut rapida trajectus glande fuissem,
Transisset medium longa vel hasta femur.

Multaq;

Multaq; ceu fusis ceciderunt millia signis,
Conderer ignota sic quoq; miles humo.
Dulce mori foret inter tot lituosq;, Ducesq;,
Dulce foret causa pro meliore mori.
Nunc ubi dura nigris affixi postibus arma,
Et statui in studiis molliter esse meis:
Sæpius & dixi: Cum sævo prælia Marte,
Classica cum vestris signa valete tubis:
Dissicior ventis, jactatus & æquore toto,
Infelix fracta currere disco Scapha.
Aut me nescio quæ morborum causa fatigat,
Et perit ingenii floscq;, vigorq; mei.
Aut tacito luctu vernantem carpo juventam,
Et citò fert canas morbida cura comas.
Scilicet ad clades, damna & majora reservor,
Et restant vitæ plura pericla meæ.
Quem mihi das tandem finem, Deus alme, laborum?
Si merui, fato torquear usq; meo.
Talia dum queror, & madidos rigat imber ocellos,
Et mihi turbata condolet Albis aqua:
Fama, PHILIPPE, meas extemplò perculit aures,
Fœdera legitimi te pepigisse tori.
Norica quà vastis Urbs se turribus effert,
Urbs procul in plano conspicienda solo,

Indo-

Indolui: fremitumq; aliquem sub pectore sensi:
Justa fuit fremitus causa, Philippe, mei.
Namq; tibi summos gemini cùm Juris honores,
Inclytus Helvetiæ traderet ordo Scholæ:
Illic Rhenus ubi Basileam interfluus Urbem
Dividit, & tumidas circinat altus aquas:
Tunc ego gratantes heroa in veste Camœnas,
Ad pompæ misi publica festa tuæ.
Lætior & reliquos inter conviva sodales,
Pocula plena mero te mihi dante bibi.
Multa mihi dederas manifesti signa favoris;
Nullus in ingenuo pectore fucus erat.
Cumq; fores charum jam deserturus amicum,
Navis & Helvetiam linquere vellet humum:
Chare vale, dixi; variis ut solvimur oris,
Sic precor amborum non solvatur amor.
Ante tuos oculos chari stet imago sodalis:
Ante meos oculos stabit imago tui.
Sic nec sera dies, ventura nec arguet ætas,
Fœdera nos stabili non coluisse fide.
Qui tibi Doctori summos gratabar honores,
O spes grandæui magna, Philippe, patris:
Idem dulce canam jucundi carmen amoris,
Cùm tibi læta sacer serta parabit Hymen.

Hoc

Hoc ſtatui, extremas ſuero licet actus ad oras,
Quà vaſtas Aquilo cum nive durat aquas.
Vsq; adeo grata eſt tanti mihi mentio amici,
Nominis iſtius tam mihi gratus honos.
Nunc precor abſentem memori complectere mente,
Noticia indignus non ero, chare, tua.
Finieram: vultu facunde Philippe diſerto
Incipis, & rurſum talia voce refers.
Tu quoq; poſtremos, Hermanne, haud inter amicos,
Sed mihi præcipuos inter habende, vale.
Vſus amicitiæ ſancto mihi fœdere tecum,
Quo me cunq; trahent fata, perennis erit.
Namq; Argentina ut tecum verſabar in Vrbe,
Tollit ubi celſum Turris in aſtra caput:
Ipſe tuas Muſas, cœtu præſente frequenti,
Audivi heroa ſæpè tonare tuba.
Hinc mihi te charum junxit fortuna ſodalem,
Inq; meo multus candor amore fuit.
Et nunc creſcit amor tantò vehementior in te,
Ante alios quantò gratior unus eras.
Tunc ubi nempè meos non averſatus honores,
Mœoniis dederas carmina pauca modis.
Quæ velut Aonii ſunt ducta è vertice montis,
Sic mihi ſecreti muneris inſtar erunt.

Namq; meos casus, rerumq; pericla mearum,
Ingenii referunt hæc monimenta tui.
Talibus officiis nequeam cùm digna referre
Præmia, pars animæ magna, Borusse, meæ:
Annulus ingenui digitum vincturus amici,
En tibi perpetui pignus amoris erit.
Non tamen in fulvo clausa est quòd gemma metallo,
Hunc tibi ceu præstans munus habere dedi.
Jaspide sed glauca sculpta est quia cordis imago,
Corq; meum magno flagrat amore tui:
Accipe non ficti monimentum vile favoris,
Hoc te sincerus munere donat amor.
Si mihi contigerint tædæ sacra jura jugalis,
Numine si dextro fulserit illa dies:
Tuq; meos plausus Claria cantabis in umbra,
Et referes thalami fœdera sancta mei:
Ipse tibi Lauri suspendam è fronde coronam,
Plurima Fœneæ quà viret arbor aquæ:
Hosq; addam versus: Hæc vati serta Borusso
Misit ab Aoniis casta Thalia jugis.
Desino plura: vale longos feliciter annos,
Cum quo dulce mihi vivere semper erat.
Hæc ubi finieras, Basilea solvit ab Urbe
Navis, & in medias remige fertur aquas.

Inge-

Ingemino: jucunde vale, vale docte Philippe:
Redditur è navi vox quoq; magna, vale.
Discessus fuit ista tui, (ni fallor) imago,
Visus es Helvetio cedere quando solo.
Alter at exactis agitur nunc mensibus annus,
Verq; renascenti flore coronat humum:
Ex quo diversis divisos partibus ambos,
Nos procul absentes vivere fata volunt.
Te beat optatis equidem sors dextera fatis,
Me cruciant miris fata sinistra modis.
Me tacitus carpit dolor: est mihi flere voluptas
Unica, & humentes tergere sæpè genas:
Te videt in casto contrà recubare cubili,
Conjugis inq; sinum repere blandus amor.
Dum datur atq; licet, fatis vir digne secundis:
Integer ô annis utere sorte tua.
Non hanc invideo, lætor magis: O mihi talis
Hòst quoq; contingat conditione frui.
Haud tamen adversi frangor luctamine fati:
Forsan erit velis lenior aura meis.
Et Venus infesti jactatum turbine venti,
Optata tandem me relevabit ope.
Quod possum, curas ducto per carmina plectro,
Diluo: sic noctem, sic quoq; fallo diem.

Hæc quoq; pauca tuas subeuntia carmina sedes,
Sunt velut invita Palladè facta mihi.
Ergo dabis veniam si non sunt veste decenti
Compta, nec ante tuos digna venire lares.
Quàm mihi sæpè tui succurrit imago Philippe?
Et veluti vultus viva stat ante meos?
Namq; lavo sumpta dum palmas sæpius unda,
Demitur & digitis annulus ille meis:
Annulus à charo donatum munus amico,
Et certum nostræ pignus amicitiæ:
Tunc subit illa mihi jucundæ lucis imago,
Quæ mihi contracti tempus amoris erat.
Tunc desiderio absentis consumor amici,
Cassa nec est votis una vel hora meis.
Sin emendo meas (ut mos mihi sæpè) Camœnas,
Occurras oculis, docte Philippe, meis.
Forsan at econtrà capiunt te oblivia nostri,
Ocia dum blandæ plena quietis agis.
Non equidem spero: nec enim quid tale meretur
Musa mea, in laudes officiosa tuas.
Scilicet ingenuos mens constans ornat amicos:
Nullus in instabili pectore verus amor.
Corpora si solvunt loca, sit mens una duobus,
Donec fida iterum corpora jungat amor.

Ergo

Ergo licet chara ſis auctus conjuge conjunx,
Pigneſus media quà fluit amnis aqua:
Non tamen arguti ſic tractas munia juris,
Muſſat in ambiguo dum tibi turba foro:
Dulcia nec blandæ Veneris ſic gaudia curas,
Dum mulcet vultus Norica nupta tuos:
Quin memor & noti recolas commercia vatis,
Noticiæ conſors qui fuit ante tuæ.
Naſcentem vidit quem cuſtos Parrhaſis Urſæ,
Qua fluit & planam Nida peverrat humum.
Qui natale ſolum patrios humectat & agros,
Abſentem mœſta meq; requirit aqua.
At nunc dum ſociæ ſubiiſti fœdera vitæ,
Quos dabit optatos noſtra Thalia ſonos?
Illa venit tardè, cœtu comitata Sororum,
Gratanti verſu ſed tamen illa venit.
Hanc igitur dextra, facunde Philippe, benigna
Excipe, nec facilis abnue quæſo manus.
Outinam præſens illa tibi luce fuiſſem,
Gaudia qua caſti ſunt celebrata tori.
Fortè Faces dextraq; manu lævaq; prehenſas,
Portaſſem ante tuos, prævius ipſe, choros.
Talc etiam Facibus voluiſſem inſcribere Carmen:
VT FAX, CONIVGII SIC QVOQVE FLAGRET AMOR.

Quod prius haud visum cupidis legisset ocellis,
Inter honoratos fœmina virq; choros.
Flos Camerariados gentis Joachimus, & idem
Doctior Argivo reddere verba sono.
Quem maturum ævi geminæ facundia linguæ
Laude vehit celsi summa sub astra poli.
Itala quem tellus nostrum negat esse: suumq;
Cecropis Urbs cunctis asserit esse modis.
Illa parens, ô sponse, tuus, tua gaudia præsens,
Dicitur & tædas concelebrasse tuas.
Forsitan hic idem sacrati ad limina Templi,
Te duxit tremula, candide sponse, manu.
Vidit & ante aram te dextram jungere dextræ,
Murmuris alternos hausit & ore sonos.
Fœdera dum natus casta cum virgine sanxit,
Gaudia grandævo quanta fuêre Patri?
Ille vel attollens oculos, frontemq; serenans,
Ivit in amplexus, nupta pudica, tuos.
Aut senior pulsis sedato à pectore curis:
Explicuit rugas, lætus & ipse comas.
Talibus atq; aliis præsentem rebus adesse,
Sors vetuit, votis non satis æqua meis.
Sed tua quæcunq; est (nec enim mihi nomine nota)
Quæ venit in cassès, sponse, puella tuos,

Vivat:

Vivat: & egregia tibi facto prole parenti,
Ceu palmes media floreat usq; domo.
Non mihi sunt tantæ qui dicant nomina nuptæ,
Cognitus est eius nec mihi stirpis honos.
Quo te igitur præstans celebrabo fœmina versu,
Virginei nuper pulchra corona chori.
Si benè quid reor: & si quid præsagia possunt,
Si favet auguriis dexter Apollo meis:
Non humili certè, sed claro es sanguine nata:
Stemma nec obscuro de genitore trahis.
Sis felix, vivasq; meis, quacunq;, Camœnis,
Digna toro tanti, Norica nata, viri.
Fortè meo quondam melius celebrabere versu,
Cùm fueris Musæ notior ipsa meæ.
Interea serò seu sese lumine condet
Cynthius, exortis sive recurret equis:
Supplicibus votis numen cæleste precabor,
Ut faveant nito Sorsq; Deusq; toro.
Qua te laude canã? nova quæ tibi carmina condam?
Solamen cani dulce, Philippe, patris?
Multa tua est virtus, populis & cognita multis,
Quos habet aëriis Itala terra jugis.
Illic te vasta peregrinum Tybris in Urbe
Vidit, & attonitis tardius ivit aquis.

Iamq;

Jamq; tuas recolens præstanti in corpore dotes,
Sanguine Germano te negat esse satum.
Non ego chare, tuos nunc persequar ordine casus,
Plurima in externis nec quoq; visa locis.
Quales insidias Romæ tibi struxerit olim,
Ordo cucullati funiger ille gregis.
Et quibus auxiliis rasæ è conamine turbæ
Raptus es, & patrio redditus inde solo.
Hæc olim cecini, dum nos montosa tenebat
Helvetia, ad tractus Urbs Basilea tuos.
Nunc precor, ut lætis tibi sors affulgeat alis,
Annuat & votis Cypria Diva tuis.
Ac veluti fida sociatus compare Turtur,
Concordi dulces ducit amore dies.
Compare at amissa gemit alta mœstus ab ulmo,
Et desolata fert sua fata domo.
Quàm libat, oblatas turbat prius unguibus undas:
Quàm cubet, ab nidum dissicit ille suum.
Sic vos sancta liget venerando copula cœsto,
Perstet & in vestro firma tenaxq; toro.
Nec properata dies vestros dissolvat amores,
Aut ferat in viduam tristia signa domum.
Ah (ita si visum superis, nec Parca repugna)
Dulce sit una ambos vivere, dulce mori.

Tune

Tunc quos verus amor, sorsq; optatissima junxit,
Unicus illorum conteget ossa lapis.
Mox Cytherea Venus, viridi circumdata myrtho,
Se vigilem vestris manibus esse volet.
Addet & hunc titulum: Socia tumulantur in urna,
Vita quibus concors, Morsq; quieta fuit.
Interea longam felices degite vitam,
Sive tuam Nestor, sive Sybilla tuam.
Plurima jucundæ vos prolis turba coronet,
Quæ dulci blæsos proferat ore sonos.
A dextra lecti splendentibus excubet alis,
Cumq; sua junctus Matre stet almus Amor.
Parte sed adversa, Pax cum Junone benigna
Adsit, & optata Sors quoq; mitis ope.
Hæ vigili totas absumant lumine noctes,
Dum placidus vestrum stat sopor ante torum.
Quà datur ingressus, crescat concordia: crescat
Candida Pax: Pacem concomitetur Amor.
Quà datur egressus, nihil omen triste minetur:
Fulgeat at dextro numine tota domus.
Hymen & ardentes dextra qui ventilat ignes,
Sopitas vobis non sinat esse faces.
Ne dormit vestros lis improba forsan amores,
Floreat at multa pace beata domus:

Ipse Deus sacrae regat haec connubia tedae,
Rixaq; praeclusas exeat ante fores.

MATTHIÆ MENIO DANTISCANO: & Claræ Werderæ, Sponsis: Carmen Nuptiale.

DVm nova sepositis celebrantur gaudia curis,
Dum parat in thalamos MENIVS *ire suos,*
Quà jacet in campis Gorlicia condita amœnis,
Quam juxta affusa Nissa susurrat aqua:
Ite meæ Musæ claram contendite ad Vrbem,
Vos hilares omni nunc decet esse modo.
Tuq; ades, ô Christe, & praesentibus annue tædis,
Prosper erit nullus te nisi dante torus.
Auspice te thalami crescit feliciter ardor,
Te sine legitimus non benè crescit amor.
Ergo veni, sacræ Sponsiq; accumbito mensæ,
Te praesente omnis lætior hospes erit.
Haec tibi quàm placeant liciti jacra fœdera lecti,
Lectis erit facti conscia Cana tui.
Tunc quando in dulcem tibi versa est unda liquorem,
Et meliora hospes tunc ubi vina bibit.
Quæ miracla videns, nullis prius edita seclis,
Praesentem quivis sensit adesse Deum.

Sen-

Senſit adeſſe Deum, cui vincla jugalia curæ,
Fœderaq; humani qui probat iſta tori.
Felix ergò animi, vita quèm virgo pudica
Movit, & ad vultus flexit amica ſuos.
Felix ille iterùm: molles namq; exiget annos,
Præmiaq; è caſta conjuge multa feret.
Illa vel optabit parvos educere natos,
Conſortem thalami vel ſtudioſa colet.
Jamq; trahet penſum, jam partes lumina in omnes
Flectet, an officii ſit memor usq; ſui.
Manè relucentes ubi ſeſe attollet in auras,
Affato cupiet munus obire Deo.
Hanc circum geniti nati, genitæq; puellæ,
Ædibus in mediis palmitis inſtar erunt.
Quarum aliæ in gremio plodentes ubera ſugent,
Vagitum in cunis alter & alter aget.
Parte alia incertis reptabit paſſibus ille,
Ingeminans blæſo murmura blanda ſono.
Interea memor ipſe ſui, memor atq; laborum,
Vir ſua mandati muneris acta facit.
Sedula dum conjunx ardentem ſudat ad ignem,
Et parat arguto fercula pauca foco.
Fercula pauca quidem, ſed amantibus apta duobus,
Sumptibus hæc magnis præpoſuiſſe velim.

Mensam epulis onerent, & luxus luxibus addant,
Quos juvat immodici prodiga vita cibi.
Mi placeat potius mediocri vivere sorte,
Et socium sociæ jungere sæpè latus.
Moribus egregiis cui prædita contigit uxor,
Illa vel est amplis anteferenda bonis.
Fallor? an illa tibi felicibus obtigit astris,
O animæ, Meni, portio magna meæ.
Sic puto: namq; isthinc nostras pervenit ad aures,
Conjugii nuper nuncia fama tui.
Sponsa tibi donis virtutum insignibus aucta
Ducitur, ô votis mille cupita tuis.
Nomen habet CLARAE, quo sese nomine dignam
Præbet, ut est claræ quæ probitatis amans.
Fœmina non humili, sed honesto hæc sanguine nata,
Candida laudatæ nomina stirpis habet.
Qui pariter nomen, cognomen idemq; gerebat,
BERNHARDO hæc primùm tradita virgo fuit.
Unanimis cum quo tranquillos egerat annos,
Concors amborum vitaq; dulcis erat.
Post obitum, chari supremaq; fata mariti,
Egregium viduæ præbuit illa decus.
Cunctaq; consumens pudibunda tempora vitæ,
Plena pudicitiæ fœmina semper erat.

Et

Et ſic omne fuit laudabile temporis ævum,
Quæq́ peracta fuit, vita pudica fuit.
Et ſic digna fuit, dulces quæ carperet auras,
De WERDERORVM nataq́ ſtirpe foret.
Nomen id eſt nullis unquam delebile ſeclis,
Sileſiæ donec vox regionis erit.
Nam ſatus hac ſtirpe, atq́ hoc quidam nomine dictus,
Præſtiterat patriæ commoda multa ſuæ.
De quo pauca meis eſſent memoranda Camœnis,
Vt foret illius non morituras honos:
Sileſiis procul at cùm ſim ſubmotus ab oris,
Dum juvat Albiacæ tecta ſubire Scholæ:
Nec mihi ſunt hujus qui dicant ſtemmatis ortum,
Nec ſunt qui melius cuncta referre queant:
Muſa ſile, & vatem dubiis educito rebus:
Multa ſilere juvat, dicere multa nocet.
Sat mihi WErdero ſata quòd de ſanguine Sponſa,
Dicitur in thalamos, Sponſe, venire tuos.
Gratulor hanc ſortem meritò tibi, candide Meni,
Quo mihi vix quondam charior alter erat.
Gratulor hanc ſortem meritò tibi, Nupta pudica
Qua vix eſt patrio pulchrior ulla ſolo.
Sponſe tibi paucis felicem Hymenea Camœnis,
Abſentiq́ aſſens proſpera fata precor.

Dulcis Hymen stringat molli tua tempora serto,
Qui tibi fert Sponsæ basia dulcis Hymen.
Lætior ecce tibi plenis fortuna quadrigis
Affluit, est votis hæc & amica tuis.
Nam prius eximo quam pectore suspirabas,
Æstivas cervi more petentis aquas:
Illa tibi amplexus nunc præbet, Sponse, benignos,
Et dextram dextræ porrigit illa tuæ.
Quod facitis justum est: socii sunt fœdera lecti
Grata Deo: castas approbat ille faces.
Qui sequitur spurcus inhonesta cubilia factis,
Negligit & sacri tam pia jura tori:
Hunc non ulla salus, æternæ & præmia vitæ
Nulla manent: magis hunc sors at iniqua premet.
Quid fuit ut sævis certaret Dardanus armis?
Concidit ut plano diruta Troja solo?
Nempe quòd ipsa Venus pharetrati mater amoris,
Torsit in Idæum spicula prompta Parin.
Ille Helenæ cæco nisi captus amore fuisset,
Promissis instans, Cypria Diva, tuis,
Troiaq; nunc staret, Priamiq; arx alta maneret:
Nunc æquata solo Pergama tota jacent.
Dum falsò dictæ raptatur amore Corinnæ,
Pellitur ad sævos Naso Poëta Getas.

Quan-

Quantò igitur vives toto felicior ævo,
Sponse, sacri quando fœdus inis thalami.
Ecce tibi applaudit crebris Gorlicia votis,
Atq; favet ceptis civica turba tuis.
Dum licet, oblata feliciter utere sorte,
Matthia fratris semper habende loco.
Tu quoq; sis felix longævos Sponsa per annos,
Ex animo & clarum dilige Clara virum.
Te Sponsus dignus, tali tu digna marito,
Amborum egregia crescat in Urbe decus.
Unanimesq; ambo longam producite vitam,
Sint procul à vestro jurgia cuncta toro.
Et quos verus amor felici numine junxit,
Hos Deus æterna copulet ipse fide.
Cujus ab auspicio sint sacræ hæc fœdera tædæ,
Hinc eat ut vester viribus auctus amor.
Jamq; leves Elegi Gorlicia visite rura,
Me comitem vestra sors vetat esse viæ.
Quod decet, absentem toto de pectore Sponsum,
Esse salutatum tempus in omne volo.
Bartholomeus idem vult hoc Bernhardus & optat,
Ingenuus Sponso quem quoq; junxit amor.
Nempe ob communem patriam: nam natus uterq; est
Qua Gedanum vastis Insula ditat aquis:

Aut

Aut quoniam (nec vana fides) comes ille viarum,
Ibat ab Albiacis expaciatus aquis.
Noticiam primosq; gradus ubi sponsus amoris
Fecit, & in costam sustulit ora suam.
Ite leves Elegi, juveniles ite Camœnæ,
Aspiret vestræ mitior aura viæ:
Dicite ab Hermanno missas vos esse Camœnas,
Dicite, sic vobis gratia major erit.
Sponsus ubi è vestro cognoverit ore salutem,
Viderit & nostra carmina ducta manu,
Annuet, & vultu vos invitabit amico,
Protinus inq; suam vos volet ire domum.

DE MORTE CLARISSIMI VIRI,
& præstantissimi Doctoris, Victorini Strigelii:
Ad Jacobum Monaw
Vratislaviensem.

SCribere Strigelio, dum fatis cessit iniquis,
Me tristes Elegos, docte Jacobe, jubes.
Quàm vellem, quòd amice cupis: si prompta daretur
Vena, nec alternis forsan iniqua modis.
Diversi vates, diversum carmen amamus,
Diversos motus, numen habemus idem.

Dum

Dum tonat ore Maro, rutili ceu fulmen Olympi,
Me juvat heroæ clangor & ipse tubæ:
At Elegos aliter leni dulcedine tinctos
Concinit, arguta ceu fluit amnis aqua.
Ut pugnat natura, dolor sic justus & ingens,
Imparibus cogit nunc mea metra modis.
Sed quod carmen erit, quo te consoler amice?
Quoq; tuus possit pulsus abire dolor?
Occidit ille tibi, quo Præceptore solebas
Dexterius studiis invigilare tuis.
Auditor tanti gaudebas esse Magistri:
Ille tibi chari patris & instar erat.
Hunc nisi fortè fores juvenili adjunctus in ævo,
Florida dum nullus texerat ora pilus:
Nec tibi dexteritas sermonis prompta Latini,
Nec fluceret Grajo copia larga sono.
Ergo quòd ingenuas, linguis cum pluribus, artes,
Ingenium callet, docte Jacobe, tuum:
Acceptum huic referas uni: acceptumq; referre
Discipuli pietas officiosa jubet.
Hujus alumnus eras doctæ inter castra Minervæ,
Urbs ubi Pieriis Lipsia claret aquis.
Hunc etiam comes es per fata extrema secutus,
Mistica mutato liquit ut arva solo.

Conjunctosq; iterùm vos Heidelberga recepit,
Quæ Nicri rapidas est sita propter aquas.
Hîc te Strigelio fuit haud conjunctior alter,
Te propiorq; illi nemo, Jacobe, fuit.
Credidit ille tibi secreti quicquid habebat,
Dicere cui vellet plurima, solus eras.
Fallor? an hæc reputans trahis imo è corde dolorem?
Ante oculos functi dum stat imago viri.
Parce precor lachrymis: nimium cohibeto dolorem:
Humidaq; admota lumina terge manu.
Sat fletu maduêre genæ: sat tristis Apollo,
Abjecta nuper, flevit & ipse, Lyra.
Sic fatis visum: dubia defungimur hora,
Quisq; sibi extremum cùm sciat esse diem.
Vidi ego manè homines media inter gaudia lætos,
Et vidi sero vespere quemq; mori.
Hoc monitus casu securus vivere noli,
Qua minimè credis mors tibi luce venit.
Quis mage dignus erat longam producere vitam?
Vivere Strigelio quis mage dignus erat?
Qui sacra Pieridum exornavit regna Sororum,
Regna prius tristi squalida facta situ.
Dexter & interpres divini oracula verbi
Reddidit, obscuris quæ latuêre locis.

Inde

Inde tot eximii fructus, tot commoda manant
Undiq; , successus vix habitura pares.
Quos habet, hinc atq; hinc, Ecclesia sancta ministros,
Doctrina celebres, & pietate graves:
Strigelio hi multum sese debere fatentur,
Ingenuus menti si modò candor inest.
Ergo qui tantis vitam cum fructibus egit,
Ante diem fato concidit ille suo.
Luxerunt mœstum defuncti funus amici,
Justa quibus magni causa doloris erat.
Luxerunt Musæ, & magni solatia luctus,
Ad tumulum sparsas sæpè tulêre rosas.
Tu verò ante alios longè tristissimus ibas,
Suspirans tanti fata, Jacobe, viri.
Nunc luctus inhibe: & mecum depone dolorem:
Ad nutum summi stemus uterq; Dei.
Si foret humano fatum tractabile luctu,
Eruerem ex oculis larga fluenta meis.
Victa moveretur si sævo & Parca dolore,
Vel nemus Elysium mœstus adire velim.
Sic me morte tua, sic Victorine dolentem,
Heu inter reliquos excrucias gemitus.
Fata manent immota omnes: cùm venerit hora,
Quæ mihi præscripta est, me quoq; fata manent.

Intera defuncte vale: dumq; incola cœli es,
Nos procul ex altis aspice quæso polis.
Atq; viam monstra, qua prævius astra subiisti,
Ingenii possunt hoc monimenta tui.
Ipse tuos cineres solenni luce revisam,
Aspergens lachrymis obvia quæq; meis.
Hinc rorabit humus, florumq; inducet honorem,
Vratis vere novo qualis inesse solet.
Ne violet manes, neve atterat ossa viator,
In tumulo Pietas excubet ipsa tuo.
Tuq; Jacobe, pii ascribens monimenta doloris,
Ad sacra nunc mecum busta vocatus ades.
Unanimes ambo extremos solvemus honores,
Hocq; brevi inciſum carmine marmor erit.
Strigelius jacet hîc: melior pars astra petivit:
Quod superest toto nomen in orbe volat.

AD EUNDEM.

De Paraphrasi Victorini Strigelii in libros Ethicorum Aristotelis.

Magnus Aristoteles gentili more sepultus,
Dum vaga in Elysiis vallibus umbra volat:
Viderat hæc etiam defuncti scripta Nicetæ,
Gavisus Latio notior esse sono.

Im-

Impatiensq́ moræ, tanti monimenta laboris
Indoluit longo penè periisse situ.
Donec Levocoreate, Monaw, sensit in Urbe,
Præstare egregiæ sedulitatis opus.
Dum Victorini humanis è rebus adempti,
Non finis obscuro scripta latere loco.
Sed memor officii, sublato morte Magistro,
Ista novis profers nunc monimenta typis.
Fallor? an Elysias Stagyrites ipse per umbras,
Signa voluntatis comprobat ista tuæ.
Sicq́ ait: hoc grati laudabile munus alumni,
Et labor hic magna laude levandus erit.
Floreat æternùm pietas hæc: cumq́ Magistro
Discipuli ingenuum floreat officium.
His tacuit dictis: I nunc Ø, pessime Livor,
Post obitum doctos vivere posse nega.

AD JOANNEM WIGANDUM, Livonem, Joannem Posonem, Joannem Skenæum, & Joannem Francum, Commensales.

IOannis festum redit: nunc omnis adesto,
Nascenti hæc quondam cui fuit orta dies.

Et Musæ, & Charites adsint, blandæq; puellæ,
Et tangat resonam Delius ipse Chelyn.
Fallor? an ad Mensam residentes quatuor unam
Cerno, & Ioannis nomine quemq; voco.
Primus ad arma satus, pugnasq; Wigandus ad acres,
Nobilis & bello, nobilis atq; toga.
Nobile stemma alter ducens, & nomen equestre,
In studiis gaudet sedulus esse suis.
Tertius ingenua præstans virtute Skenæus,
Spes magna, atq; decus, Scotia terra, tuum.
Ingenio quartus felix, atq; indole pulchra,
Si modò declinet quæ nocuêre prius.
Præstantes virtute viri, chariq; sodales,
Vivite, & hànc festam concelebrate diem.
Ipse adsit Genius, plausumq; & jubila tollens
Ambulet, & multo lux eat acta mero.

MEMORIA:
In librum Wolffgangi Crenii Austriaci,
in quo manus quoq; fratris Joannis
Hermanni erat inscripta.

VVOlffgange ingenuos inter numerãde sodales,
Quos solet excerta quisq; probare fide.

Acci-

Accipe ſincerum teſtantia carmina amicum,
Scribere non fictus quæ tibi ſuaſit amor.
Suaſit amor, ſuaſitq́ mei manus obvia fratris,
Quam mœſtus multis hîc video lachrymis.
Ille tuus convictor erat: tibi gratus amicus
Ille, nec exiguo fœdere junctus erat.
Poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum,
Liquit at ut terras, Gallia magna, tuas.
Vaſtaq́ perſpexit populoſæ mœnia Romæ,
Quæ lubricus glaucis Tybris inundat aquis:
Optata tandem recubat tellure potitus,
Hîc ubi Leucoreos irrigat Albis agros.
Illius utq́ tibi, Wolffgange, eſt mentio grata,
Sic etiam gratum ſit meminiſſe mei.
Unica quos junxit fraternis pagina dextris,
Pagina non ulla dilaceranda manu.
Hos ærumnarum Deus hac ex valle vocatos
Jungat, in aſpectu, Chriſte benigne, tuo.

EGGLINGO OLMANNO CELlenſi: Witeberga diſcedenti.

VIſurus patrios, Egglinge Olmanne, penates,
Linquis ut Albiacæ clara Lycæa Scholæ,

Mons

Mons albus doluit: doctæ doluêre Camœnæ,
Albis ut attonita tristior iret aqua.
Totus at econtra lætis sese extulit undis
Alera, Cellenses qui rigat amnis agros.
Diversos diversa movent: hic lætior inde,
Egglingum patrios quòd scit adire lares.
Tristior hinc alter, quia quo gaudebat alumno,
Hunc amat, ei suis luget abire locis.
Discordes Natale Solvm componit: & ipsum,
Quem sibi progenuit, sub sua regna cupit.
Ergo Egglinge vale: patrios invise penates:
Ut videas salvos salvus & ipse, Vale.

IN POTENTIAM AMORIS.

FOrtè viam juvenis generoso sanguine cretus
Carpsit, quà densis sunt loca plena rubis.
Intonuit cælum, largos effudit & imbres,
Et juvenem densæ corripit imber aquæ.
Ille tamen tacitis tostus præcordia flammis,
Optabat gelidâ spargere pectus aquâ.
Quid non vincit amans? ardetis semper amantes,
Sit licet immensis imber obortus aquis.
Ardete: at cauta fatum perpendite mente,
Namq; vel invito numine sævit amor.

Vidi

Vidi ego conjungi, quos jungi nemo putabat,
Vidi alios rupto rursus amore mori.
Exitus in fato est: casus perpende futuros,
Quisquis amas; siquidem dulcis amaror amor.

IN DOCTORATVM CVIVSDAM

Doctoris summos quidam affectabat honores,
Quà fluit irrigua spumifer Albis aqua:
Sistitur ut specimen doctrinæ præbeat amplæ,
Frangat & adversi tela dolosq; viri.
Hunc telis studiosa cohors oppugnat iniquis,
Et varia pressum ludit agitq; vice.
More sed ut solito argumenta objecta resumsit,
Solvit & hæc uno cuncta retorta modo:
Dixerat, Omninò sic respondere necesse est:
Vox respondentis sola ea semper erat.
Res abit in risum; Doctorq; OMNINO vocatur:
Illius omninò nomen & omen habet.

DE CARMINE VITI AB ERTHAL,

Equitis Franci, quod scripsit in Natalem Christi, Witebergæ: Anno

1571.

VIte tui spes magna patris, quo sanguine natus,
Vallis honoratæ nomen & omen habes.
Perge ita, quodq; facis doctis incumbe Camœnis,
Quæ venit ex illis gloria, magna venit.
Sic tua Nobilitas, sic clarum nomen equestre,
Ipsaq; post cineres fama superstes erit.
Me nisi mens fallit, nisi me quis decipit error,
Rivulus Aoniæ quâ scatet uber aquæ:
Illic serta tibi Aonia contexet in umbra,
Phœbæo residens turba novena choro.
At tibi quæ nato vitales præbuit ortus,
Applaudet famæ Francica terra tuæ.

CÆCILIÆ A STEINAW, CONJUgis Joannis Georgii ab Erthal, EPITAPHIUM.

HIc recubat conjunx Joannis chara Georgi,
Cui cognomentum vallis honorq; dedit.
Conjunx Cæciliæ quæ nomen viva gerebat,
Et claro à Steinaw sanguine nata fuit.
Hujus nunc superam cæli sublatus in arcem
Spiritus, in Christo gaudia multa capit.

Annus ætatis, & obitus.

CæCILIa à SteInaV tr IgInta eXpleVerat annos
qVattVor, & hei LVX hanC MALA qVarta
(tVLIt.

EXEQVIÆ

Joanni Hermanno Nidburgensi Borusso, fratri suo, Viro clariss.

ERgo jaces Frater, fato præreptus iniquo,
Ante diem fragilisq; amittens stamina vitæ.
Multos morte tua mœstos, fractosq; relinquis
Communi in luctu. Te Mater luget ademptum,
(Namq; Patrem dulci Mors dudum sustulit ævo)
Fœmineis totas replens plangoribus ædes.
Hanc circum mœsta nequicquam mente Sorores,
(Parca duos siquidem Fratres quoq; sustulit antè)
Dant animum in luctus, & pugnis pectora tundunt.
At mihi dum doleo, dum mortem indignor iniquam,
Multa madet rorans gemebundo gutta palato,
Nec reprimo fletus, quia nil nisi flebile cerno.
Hei mihi, quàm dubia cuncti defungimur hora.
Nunc aliqua tandem sublata parte laborum,
Post varios casus, actæq; pericula vitæ,
In commune bonum studio vigilante laborans,

Tempora tranquillæ debebas ducere vitæ.
Hoc ita non voluit fatorum immobilis ordo.
Ergo ævo viridi occumbis: jùvat orbe relicto
Exhalatam animam sublimes ire sub auras,
Ut vigor interiit, tuaq; ut calor ossa reliquit.
Quæ germane tibi frater funebria solvam?
Unde decus nomenq; tibi, famamq; parabo?
Mens afflicta malis, & acerbi plena doloris,
Nil nisi res tristes, & singultantia verba
Suggerit, ingentem eructans de pectore luctum.
Nam me jamdudum sævus circumstetit horror,
Ut te improvisæ sublatum funere mortis
Accipio, manesq; tuos, umbramq; vagantem
Agnosco ante oculos, & tristi voce saluto,
Idq; ego dum facio, lachrymas in carmina verto.
Occidis hei flos, & patriæ spes maxima terræ:
Prussia quo claro jam se tollebat alumno:
Occidis, & tristi nos mœstos orbe relinquis.
Tu puer à primo teneræ lanuginis ævo,
Hinc atq; hinc varias tendis peregrinus ad Urbes,
Clarius externis tibi quærens nomen ab oris.
Nam quia non quavis florent regione Camœnæ,
Inq; solo patrio cunctis præclivior usus
Ad pejora datur, peregrinas imus in oras,

Ut

Vt simul & mores, doctas discamus & artes.
Rostochii insignis ubi florent tecta Lycæi,
Huc primus fuit excursus: trieteride tota hîc
Sedulus in studiis pubescens transigis ævum.
Hinc propius patriæ accedens, mox docta frequentas
Atria, in arctois quæ Mons tibi Regius oris
Porrigit, & geminam sublatus suspicit Vrsam.
Emicuit magno tunc istud flore Lycæum,
Quando nova erexit doctis fundamina Musis,
Brandenburgiaco Albertus de sanguine cretus.
Scilicet ut primus tenuit moderamina Rector,
Aonidum decus, & Musarum fama Sabinus.
Hoc ductore olim Clarias immersus in undas,
Frater adhuc juvenis molles effingere versus
Discebas, facili tibi carmine venaq; fluxit.
Ecce allata procul peregrino venit ab orbe,
Huc quædam miseranda lues, quam faucibus imis
Evomuit, tecto nebulaq; involvit amictu,
Qui sancta argolicæ ducens cognomina vocis,
Voce fuit sanctus, doctrina ast impius idem.
Nam dum sacra docens tetrum spuit ore venenum,
In vulgus sparsum: fruſtraq; ait esse cruorem
Pro genere humano quondam tibi, Christe, profusum:
Sic fragiles artus, humanæ membraq; massæ,

Christe tua, hei vili dum pendit, mentis inopsq́,
Justitiam nostram, & nostræ omnia vota salutis,
Soli divinæ naturæ, non & utriq́,
Christe, tuæ tribuit: totoq́ ita pectore credit,
Lis oritur, discors doctorum turba virorum
Scinditur, & rixis turbat rude vulgus obortis.
Nec mora, dissidiis magni solvuntur amores:
Frater erat fratri sensu contrarius: ipse
Filius adverso patrem oppugnabat & ore.
Sancti namq́ viri (si Dijs placet) agmen amicum
Per plebem reptans, & tectum virus inhalans,
Traxerat incertum sensa in contraria vulgus.
Hinc variæ lites, verborum hinc mille figuræ.
At queis recta fuit sanæ sententia mentis,
Posthabitis abeunt rixis: cedente Sabino,
Aonidum studiosa cohors discedit & omnis.
Sic erecta sacris haud dudum Academia Musis
Labitur, & tabulas nullo discrimine sparsas,
Nave velut fracta mediis exponit in undis.

Hæc ita dum tristi fatorum sorte geruntur:
Tu quoq́ frater abis: venientemq́ omine læto,
Vallata aggeribus te Witeberga recepit.
Jam tibi tunc ætas justis adoleverat annis,
Nec tantùm Latio poteras sermone disertus

Esse,

Esse, sed & Grajæ callebas plurima linguæ,
Ergo animo magno studiis majoribus acer
Invigilans, luci pariter noctiq; paras te.
Quæq; tibi pietas, æternæ & cura salutis
A teneris annis fuit, hæc Germane jubebat
Te sacra divini scrutari dogmata verbi.
Hic scopus, hæc fuerat studiorum meta tuorum.
Dexteritasq; istis studiis quò major inesset,
Chaldeæ, Ebreæ linguæ mysteria cuncta
Inquiris, summisq; adnixus viribus urges.
Non rudis ergo tibi, solidæ Præceptor at artis
Quæsitus fuerat, variisq; petitus in oris.
Insignes namq; ampla Scholas Germania quotquot
Continet, hasce ferè cunctas tu frater adisti.
Longum omnes memorare foret: Dum Saxonis arva
Linquis, & Albiaci celeberrima tecta Lycæi:
Gallia te vidit detentum quatuor annis.
Hîc linguæ Ebreæ autores pariterq; Pelasgæ,
Doctrinaq; Sophos præstantes sedulus audis.
Scilicet is demum famam cum laude meretur,
Qui sacra perquirens divini oracula verbi,
Ingenuas Sophiæ non seguiter excolit artes,
Et variæ linguæ artificem sibi comparat usum.
Excultum postquam triplicis te munere linguæ,

Gal-

Gallia mirata est, quà torto Sequana cursu
Parisios findit muros, discedis ab Urbe hac
Vasta, immani, ingenti, & nulli mole secunda.
Inde lares patrios, & tecta paterna petentem,
Regius insigni te Mons excepit in Urbe.
Inclytus ingenua virtute Albertus ut heros,
Brandenburgiaco Princeps de stemmate natus,
Te sensit doctas caput exeruisse per artes,
Ampla tibi largæ promittit munera dextræ.
Ergo longinquis si quidquam forsan in oris
Doctrinæ lateat solidæ, gelidaq; sub Arcto
Non satis excultæ, patriis è sedibus actus,
Jussus es Italiæ claras invisere terras.
Dumq; paras abitum sub aprici tempora Veris;
Ecce viæ accincto, nec quicquam tale putanti,
Agglomerant socios tibi se comitesq; viarum,
Egregii juvenes, generoso & sanguine nati.
Ortum ex Dhonano Fabianus sanguine ducens,
Burggravius, vera nulli virtute secundus,
Sive animum, seu quis præstantes expetat ausus.
Alter Christophori nomen qui nobile ducit,
Nosticia de stirpe satus. Dum fortè penates
Hi patrios linquunt, dum jussa paterna capessunt,
Aljatiamq; petunt: per lustra ignota, viasq;

Te

Te comite optabant longinquas tendere in oras.
Atq; hos ut celebrem salvos deducis in Vrbem,
Quæ tenet Argento cognatum nomen, & altam
Turrim in sublimes educit vertice nubes:
Per juga inaccessa, & prærupta cacumina in Alpes
Fit via nubiferas, superato vertice montis
Euganei, ingrederis præclaram Antenoris Vrbem.
Reliquias Henetûm veteres, quas transtulit olim
Huc pius Antenor, post diruta Pergama bello.
Inde petis Romam: Romam tibi magna videre
Cura fuit frater: conversis gentibus olim
Maxima quæ crevit: Christiq; hîc fixit Ovile,
Sanguine Apostolico, quod prima exordia sumsit,
Post veteres cultus, post Fana profana Deorum.
Hîc Hetrusca dedit geminis Lupa fratribus olim
Ubera: fraterno hîc maduerunt sanguine primi
Romulidum muri: hîc violator & ille pudoris
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & ille
Clemens seu demens fuerant: sub nomine quorum
Perdita Roma fuit. Sic quondam Pana canendo
Nuda Lupercorũ turba, hac quoq; in Vrbe vagata est.
Iamq; Lupos multi simulant, nudosq; Lupercos,
Nec facilè est tota Roma prohibere Lupanar:
Tantus in hac rerum concursus, copia tanta.

Ac veluti Ponto Scapha Petri fluctuat alto,
Obviaq; est variis Ecclesia sancta periclis:
Sic hostes inter, sic inter Regna Luporum,
Petre, tuus servat sacrum Successor Ovile.
Lappa inter segetes, & concolor Anguis in herba est,
Et tolium semper concrescit inutile messi:
Ne mirere igitur cur Christi hîc extet Ovile.
Herfilus hîc etiam jacet: huicq; adjuncta Marulla,
Quæ Soror, et Cõjunx fuerat simul huic quoq; Mater:
Nam Pater hunc genuit de Nata, hanc duxit & idem:
Sic Soror & Conjunx fuerat, sic Mater eidem.
Prætereo Italiæ Regum tot prisca sepulchra,
Visa tibi Frater, quæ commemorare solebas
Sæpè mihi: hæc mecum memori ceu mente revolvo,
Sic oculis quoq; cuncta meis cognoscere mallem.
Postquam res Romæ varias, monimentaq; multa
Vidisti Italiæ, frater, juvat inde redire.
In patrias terras, operam quibus impiger offers,
Ingeniiq; tui vires, omnemq; laborem.
Ipse tibi munus Mons Regius obtulit amplum,
Obtulit ingenium informandum Principis, ævo
Dum primo crevit, nec in illo apparuit ullus
Naturæ atq; animi morbus qui nunc habet illum.
At te qui parvi Æthiopis cognomen habebat,

Non

Non tulit, invidiæ ſtimulis agitatus iniquis.
Dona tot ingenii, linguarum munera ſexq;
Ne poſſes, Frater, patriis impendere terris,
Impedut Fatum, Æthiopis conamen & atri.
Sic ſua Mæonidem riſerunt ſecula Vatem,
Sic ſua contemptũ tulit haud quoq; patria Chriſtum.
Ergo iterum repetis terras à Saxone dictas,
Auguſtusq; tibi Septemvir munia defert,
Atq; tuæ vitæ præbet ſat larga alimenta,
Leucoreo in Ludo. Dumq; hîc perplexa profeſſus
Scripta Rabinorum, & divini oracula verbi,
Perbreve tempus agis, tibi vitæ ſuſtulit uſum,
Invida, nulli hominum quæ novit parcere, Parca.
Sic poſt tot caſus, poſt tot diſcrimina rerum
Occidis, hei Frater, viridiq; occumbis in ævo.
At ceu tranquilli moriens in imagine ſomni,
Sacra inter ſcripta, atq; inter pia vota precesq;,
Vivam animam in Chriſti gremium pius exhalaſti:
Sic frueris vita æterna, & ſublimibus aſtris
Additus, è cælo mortalia deſpicis alto,
Humanæq; gemis ludibria plurima vitæ.
Salve chare cinis fratris: ſalveto recepta
O anima in cælum; ſalveto fratris & umbra.
Jamq; vale Frater: donec te ſubſequar olim,

Atq; tibi cæli patria conjungar eadem:
Et nunc magna tui per terras currat imago.

GENEROSO DOMINO FABIANO

Burggravio à Dhona, & nobilibus Friderico & Wolffgango fratribus à Wernsdorff: Witeberga in Italiam discedentibus.

PRæstantem genere, atq; heroä mente BARONEM
DHONANVM, ingenua nulli virtute secundũ:
Si ve animum, seu quis mores exoptet amandos,
Nunc canere est animus. Tenues delapsa per auras,
Vranie, cælo nomen, quæ ducis ab alto,
Prompta veni, dictis dium aspersura lepôrem.
Namq; abitum parat, Albiaca cessurus ab Vrbe,
Quam geminus geminis rivus perlabitur undis,
Alter aqua limosus, aqua sed purior alter:
Ille abitum parat hinc, quo non constantior ullus,
Sacra novenarum sectatur regna Sororum,
Præditus egregiis virtutum dotibus heros.
Quas, Fabiane, tibi laudes? quæ carmina condã?
Quî ve tuos astris ausus sublimibus æquem?
Non mihi sunt vires: meritas tibi dicere laudes,
Divitis ingenii est: & ab omni parte parati.

Macte

Macte animo juvenis Dhonano ſanguine crete,
Vix tibi prima genas veſtibat flore juventa,
Nomen — ab externo cùm quærens clarius orbe,
Tendis in Alſatiam, lubricis ubi volvitur undis
Rhenus, & excelſæ ſurgunt pinnacula Turris,
Quæ ſublata ſolo nubes caput abdit in altas.
Has excurſus erat longinquas primus in oras,
Dum puer ingenuas didiciſti ſedulus artes,
Flore ævi puer, at multis jam dotibus heros.
Namq; tibi primis virtus animoſa ſub annis
Affulſit, teneroq; heroëm oſtendit in ævo.
Te ſtupuit Rhenus: te mirabatur alumnum
Ellus: & iſte genu, inflexo tibi flumine, curvans,
Sæpius amota nudum caput extulit unda.
Civica quinetiam magno te turba favore
Amplexum, multos inter ſiſtebat honores.
Et ratio in promptu eſt: nec longè cauſa petatur,
Rarò conveniunt, claraq; in ſtirpe morantur
Majeſtas, mentemq; ornans vox comis amicam.
Hæc, Fabiane, tibi ſunt: hæc cumulantur in uno,
Cui VIRTVS DVX *eſt, nec* SORS COMES *ire recuſat.*
Non mihi falſa placent vanæ mendacia linguæ,
Non aliquis ſucum falſus color hîc tegit ullum,
Noſti animum, noſti ingenium, præſtantiaq; auſa,

Tu gelida quisquis gaudes habitare ſub Arcto,
Regius illuſtri quà Mons ſeſe extulit Aula.
Nec tu Rhene pater teſtantes abnuis undas:
Queq; vides Albis non tutum Leucori flumen.
Hæc ego nunc vili qui carmina condo Camœna,
Novi animum, novi ingenium, præſtantiaq; auſa.
Me quoq; nam comitem, BARO, dignabare viarũ,
Culta Boruſſorum quando olim liquimus arva,
Perq; tuos populos, & latas, Sarmata, terras,
Magnum iter ingreſſi, vaſtis erravimus agris,
Sileſia donec paulùm requieſcere terra,
Nobis ſorte datum eſt: Miſneidos hinc regionis
Arva petebamus: peregrinos Dreſda recepit,
Auguſtas inter multùm quæ prominet Urbes.
Miſnica mox ſeſe multis ſarepta caminis
Obtulit: hîc q; cavas effoſſo monte cavernas
Vidimus, atq; ſcrobes ſumus auſi intrare profundas.
Illic cernere erat rimatas undiq; venas,
Sub terra: anfractus varios, ſparſosq; meatus
Quæſiti argenti, & ſolerti idagine foſſi.
Sed quò delabor? non hæc aliena referre
Propoſitum fuerat: labor eſt nec temporis hujus.
Ad te iterum verſa redeo, Fabiane, Camœna.
Vnde ſed iſte meos ſubitus dolor occupat artus?

Ha-

Hærent ora: hærent vocalis guttura linguæ:
Nec niſi cum crebris mihi vox ſingultibus exit.
Nimirum hoc, vitæq; meæ, fatisq; ſiniſtris
Deerat adhuc, ut poſt tot iniquæ incommoda ſortis,
Te Fabiane Baro, hinc abeuntem, luce ſub iſta
Aſpicerem: cerno pulchros ornatus ut armos
Stat ſonipes, frænum mandens ſub dentibus arctum,
Luxurianſq; jubis, te tantum in terga Baronem
Poſcit ovans, repletq; omnes hinnitibus auras.
Ille ferox animi, frænis ſpumantibus hinnit:
Me dolor erecta prohibet dare jubila dextra.
Namq; viæ accinctus, longinquas tendis in oras,
Sperata citius luce: haud datur ora tueri
Sat tua: nec longos tecum traducere ſoles.
Sed vade: & famam claris extendere factis
Perge, tibi Latiis nova laus jam ſurgit in oris.
Nam mea ſi mentis non me præſagia fallunt,
Et genus, & proavos, famamq; æquabis avitam.
Gloria nec patriæ deerit toti: illius olim
Laus eris: & noſtri magnum Ducis ornamentum.
Sunt tibi, ſunt fratres, duri quibus aſpera Martis
Cognita ſunt bella, & rebus ſpectata juventus.
Clarũ eſt, hinc atq; hinc, generoſi nomen ACHA- I.
Qui pulchras teneris artes ſectatus ab annis, (TI: Achatium Burggra-
Non

vius à Dho na &c.

Non timuit quondam aërias se ferre per Alpes,
Atq; per Euganeos præruptа cacumina saltus,
Ardore Aonidum, prælustrem Antenoris Vrbem
Tandem adiit: magnis applausibus Itala tellus,
Excepit q; illum, meritoq; amplexa favore est.
O qualis, quantusq; foret: ni fata parentem
Illius ante diem properata morte tulissent.
Nam patre sublato, ceu natu maximus hæres
Ille subit, patrias & opes & tecta gubernans.
Nunc ita in hunc unum domus inclinata recumbit,
Exempto è vita genitore, & lumine casso.
Non tamen illi animus, præsentis pectoris unquam
Vivida nec virtus laudandis defuit orsis.
Dum tonat, inq; Getas conversis fulminat armis,
Cæsar ovans, armatq; acies, ensesq; coruscat:
Impavidum assumptis se ostendit Achatius armis.
Nunc belli immunis, securum transigit ævum,
Clara auctus consorte thori: quæ nobile nomen
WERNSDORFFA de stirpe trahit: decorātq;, venustātq;
Hanc dotes animi: roseisq; affusa labellis
Gratia, mentem ipsam pariter vultusq; serenat.

II. Henricus Burggravius à Dhona &c.

Virtutem ast, HENRICE, tuam Livonia tellus
Vidit, & egregiis te mirabatur in armis,
Insignem heroëm & præstantem fortibus ausis.

Mo-

Moſchus atrox, & qui Dano cum Rege tot annos
Bella gerit, fortes, Duce te, ſenſêre cohortes.
Namq; Polonorum Regi Livonia ſciſſa
Subdidit ut ſeſe, tu pro Livonide terra,
Proq; Polonorum ſubjectis arma gerebas.
Fortè ſed adverſum dum pugnas acer in hoſtem
Pernaviæ in campo, armatam vim viq; repellis,
Ecce tibi incauto juveniles trajicit artus,
Glans cannis emiſſa cavis: cruor effluit ater
Inde repentinus: ſed vulnere ſaucius acri
Quanquam factus eras: tamen agmine cedis ab ipſo
Haudquaquam, at telis invitas pluribus hoſtem.
Ergo ubi parva fuit, non parvo in vulnere, cura,
Largior & toto effluxit tibi corpore ſanguis,
Frigida langueſcunt exhauſto membra calore,
Et placidè ſopitus obis. Tua continet oſſa
Riga Urbs inſignis, quæ tot labentibus annis,
Dum Moſchus reliquas Urbes expugnat, & arces,
Se tenet hucuſq;, atq; inſultus ſuſtinet omnes:
Jamq; ſibi antiquos circumdedit aggere muros,
Præſidium ut patriæ ſint, diro terror at hoſti.

III. Fridericus Burgravius à Dhona, &c.

Nec FRIDERICE *tuas obſcurant tempora laudes,*
Danica qui regna intrepidis defendis ut armis,
Fortiter ipſe hoſtes telis navalibus urges.

Ecce ſed ut jactus naves harpago prehenſas
Contiguas reddit: jungunt ſe ad prælia naves,
Oppoſitæ hinc atq; hinc: propiora & prælia miſcent.
Pugna fit, hei triſti committitur omine pugna.
Hîc manus hoſtilis ſummo natat æquore truncа:
Illic avulſum caput altis eminet undis.
Jamq; rubent largo conſperſæ ſanguine naves,
Quocunq; & videas, pugna undiq;, et undiq; ſanguis.
Has inter plenas ſpumanti ſanguine cædes,
Fortiter ut pugnas, Friderice, hoſtemq; fatigas,
Strenuus occumbis, vitamq; in ſtrage relinquis:
Fortunæ & caſu vaſtum es delapſus in æquor.
Dū mare, dū tellus, dumq; æquora Balthica ſtagnāt,
Semper honos, ſemper Dhonini fama manebit:
Æternumq; locus Friderici nomen habebit.
At non inde jacet virtus extincta: ſuperſunt
Dhonina de ſtirpe ſati, quos acria ſemper
Bella juvant, ſævo Martemq; lacеſcere Marte.

1111. Chriſtophorus Burggravius à Dhona, &c.

CHRISTOPHORI *qui nomen habet fortiſſima geſta*
Clareſcunt, multos Dano explorata per annos,
Dum Sueonum forti cum Rege decennia Trojæ
Complet, & agnato cum ſanguine mutua miſcet
Prælia in arctoo pelago, Neptunus ut ipſe,
Amplius haud poſſet cùm tantas cernere clades,

Ubi-

Arbiter adveniens hæc ſæva diremerit arma.
Chriſtophorus bello fuit hoc Dhonanus in acri.
Quondam is, Leucorea dum verſabatur in Urbe, Anno 1559.
Tradita magnificus tenuit moderamina Rector.
Egregiusq́ animi, ſubjectis parcere nôrat:
Juſticia & poterat cœtus frænare rebelles.
Nunc vivat: ſumptis majora & præſtet in armis.
Vivat jô felix: ſpoliisq́ potitus opimis,
Gratior ingenti redeat mihi victor ab hoſte,
Tunc mihi major erit condendi carminis ardor.
Fortia qui juſtis imitatur prælia in armis, V.
Flos ABRAHAMVS *erit, fraternis æmulus auſis.* Abrahamus Burggravius à Dhona, &c.
Hic turmas ſequitur, florentesq́ ære cohortes,
Dum furit, inſontiq́ replet ſua regna cruore
Gallus: & elatas regali in vertice criſtas
Motat, agens fremitus, & roſtro immania ſpirans. Anno 1569.
Securus nimiùm fati, lethiq́ paterni,
Quo genitor periit, torta fatalitèr haſta.
Oblitusq́ ſui fratris: qui lumine torvo
Dum Chriſtum negligit, dum ſurdâ præbet & aurem,
Corruit aure ipſa putri ab radice revulſa.
Carole, nec pudor eſt cernentem exempla tuorum,
Te nondum ſapuiſſe Phrygem? Bella, impia bella
Quin pone, & Chriſti palantes aſſere cœtus.

Dhoninæ verò non infima gloria ſtirpis
Sit felix, juſtis pugnetq; Abrahamus in armis.
Oppreſſosq; pios ab iniqua clade Tyranni
Vindicet, & certam jubeat ſperare ſalutem.
Eſt illi, eſt animus lucis contemptor, & ultrò
Qui petere haud dubitet pulchrã per vulnera mortẽ.

VI. Ioannes Burggravius á Dhona, &c.

Cui divina dedit IOANNIS *gratia nomen,*
Egregio factis Juveni, & florentibus annis,
Ille animo haud humili, excelſæ ſed robore mentis
Præſtabat, magno belliq; ardebat amore.
Mors ſed & hunc inopina tulit: namq; omine lævo,
Cuſpide dum tenus arreptam vi corripit haſtam,
Moliturq; ictus famulo, jam jamq; minatur:
Ille animi pavidus venientem à vertice plagam
Prævidit, celeriq; elapſus corpore ceſſit:
Sic herus ut vires in ventum effudit inanes,
In ſua converſum detorſit viſcera ferrum, (artus.
Non ferrum hoc, nec & hos ſperatum hoc vulnus in
Tres numero: tres inſignes præſtantibus auſis
Occubuêre, fide ac Chriſtum agnovêre profeſſa,
Cujus in aſpectu, æterna nunc pace fruuntur.
Fortunati omnes: dum vaſti machina mundi
Stabit, ſemper honos horum, laudesq; manebunt.

VII. Fabianus

Hæc ego nunc fratrum, Fabiane, exempla tuorum

Dum

Dum memoro: laudes horum ſuper æthera tollo: Burggravius a Dhona, &c.
Veſtri ortus, veſtræ celebrans præconia ſtirpis.
Perge ergo, & quò te ducit nunc ſors tua, perge,
Germanosq; tuos propriis virtutibus æqua.
Hi nati ad bella: ingenuas tu natus ad artes:
Non minor ex Muſis quàm caſtris fama paratur.
Namq; & cum doctis quiddam commune Camœnis
Præſes habet belli: nec me ſententia fallit.
Tantò laus major forti eſt in milite, quantò
Doctior haſtatæ coluit ſacra caſtra Minervæ.
Seu ſedet ergo animo, doctrinæ ad culmina ſummæ
Ingenii totis conniti viribus ac vi:
Martia ſeu cordi eſt quondam veſtigia fratrum
Obſervata ſequi, pro ſacra & Palladis haſta,
Te rapere arma virum, atq; infeſtis obvia ſignis
Signa manu ferre, adverſasq; invadere turmas:
Interèà ceptum, Fabiane, haud deſere curſum.
Non benè deſeritur tibi curſus, qui benè cepit.
Apta tua eſt ætas, doctis & idonea Muſis:
Nam necdum tangis quinti ſpatia ultima luſtri,
Et tamen ut promis verbis tua ſenſa latinis,
Dictio quæq; fluit puro tibi tincta lepôre.
Nec tantùm hoc: verùm & linguæ primordia Grajæ
Cognita habes: vaſti numeroſa volumina juris,

Nunc etiam aggrederis, ſummis ac viribus urge.
Propoſitum mentis, nec in hoc diſtractus oberras.
„ Hæc equidem vera eſt, generoſo hæc ſtemmate digna
„ Nobilitas: Virtute ardet quam quisq; tueri,
„ Sanguine nec niti, aut majorum inſignibus ullis.
„ Qui Virtute caret, caret idem Nobilitate,
„ Nobilis ille mihi nec erit, ſed mobilis ille,
„ Quem movet, & facilè inſtabilis ſibi ventilat aura.
O præſtans animi Baro, quæ te tempora dicam,
Quosve putem tantos talem genuiſſe parentes?
Ante tuos oculos Virtus, Rectumq;, Fidesq;,
Ac Gravitas aſtant: his ſeſe Gratia comis
Immiſcet, vultumq; inſigni laude ſerenat.
Natalis tibi dexter erat: Lucina benigno
Affulſit nutu: primoq; in limine vitæ
Aurea felices glomerârunt ſidera ſtellas.
Ergo inſta fatus: placidisq; afflantibus auris,
Succeſſus urgeto tuos: Tua facta ſecundent
Et fatum, & Virtus, & laudum pulchra cupido.
Maxima ſpes de te glacialem ſurgit ad Arcton,
Pruſſia quà vaſto tumidarum in margine aquarum,
Succina ſpumanti legit eructata procella.
Nec minor eſt de te DVCIS *expectatio noſtri,*
Brandenburgiaco ALBERTI *de ſanguine creti.*

Huio

Huic, Fabiane, Duci, primis dum creverat annis,
Tu quoq; parvus adhuc, primoq; in flore juventæ,
Adjunctus fueras: huic promptus ad omnia semper
Visus es officia, heroï parere paratus.
Atq; is nunc hæres, vario in molimine rerum,
Occupat, & patrias regni moderatur habenas.
Multa voluntatis, manifesti & signa favoris
Ille tibi dederat: puerili quando sub ævo
Hoc cum jussus eras doctis assuescere libris,
Atq; modis variis varias inflectere voces.
Talis amor, teneris qui conciliatur in annis,
Laude vehi magna solet, & durabilis esse:
Ut crescunt anni, sic tales crescite amores.
Ergo Ducis, dubio procul, in te prona Borussi
Gratia, nunc longè major, Fabiane, redundat:
Creverunt anni, Ducis & Clementia crevit.
Præcipuè quando gemina trieteride lapsa
Jam, procul à patria, vasto submota recessu
Regna peragrasti, studiorum impulsus amore.
Nunc majora audes: neq; enim te parva decere
Credideras unquam, fatorum lege tuorum.
Mens excelsa ausis semper se grandibus infert.
Nec sum animi dubius, quin ob conamina tanta
Indolis egregiæ, Ducis olim tota Borussi

Regia

Regia, lætitiam ingeminans, plausúsq; resultans,
Præmia virtutis summos tibi tradet honores:
Tu modò ab incepto studiorum haud desice cursu.
Hoc cupit, arctois quem terra veretur in oris,
Marchio, spes populi fato meliore regendi.
Tempus erit quando subito exurgente tumultu,
Numine vel lævo turbatis undiq; rebus,
Consiliis Dux ipse tuis nitetur: & ultrò
Auxilium feret, ac rebus succurrere lapsis
Consultore volet te: tu ne regna ruinam
Salva trahant aliquam, prudenti mente cavebis.
Plaudit ovans animis Respublica: plaudit & ipsa
Frussia, & insigni jam sese jactat alumno.
Sed nunc salvus abi: Musæ comitentur euntem
Te, Fabiane, meæ: nequeam ut comes esse viarum
Sors prohibet: fatorum immobilis obstat & ordo.
Prospera si ventis me sors afflabit amicis,
Te sequar: & Latiis quæram peregrinus in oris.
Quem mihi nunc fortuna rapit: quo gratior alter
Non erat in multis, nec erat generosior alter.
Interea autumnus placidis precor exeat auris,
Nubibus abruptis nec sævas depluat undas.
Vos etiam hyberno spirantes tempore Cori,
Este rogo faciles: durosq; infringite flatus.

Durum

Durum dura decent: nihil hic nisi mitia novit.
Vos verò Latias fluvii quicunq; per oras
Vestrum agitis cursum, Germana aut finditis arva,
Promite pacíferas, tranquillas promite lymphas.
Sorte sua quivis, propriis contentus & undis,
Sit mihi, nec crescat peregrinis viribus auctus.
Tuq; pater Neptune ingentes comprime fluctus:
Imperium pelagi, cunctarum & numen aquarum
Est tibi namq; datum: immissa ne stagnet ab unda
Tellus, fac metuat fixas transcendere metas,
Limitibusq; inclusa suis sua littora plangat.
Vos quoq; Dii nemorum, densæ custodia sylvæ
Quos penes est: vacuos inimicis reddite lucos.
Sæpè sub umbrosa tectus latet arbore prædo,
Ut ferro incautos superans, vimq; insuper addens,
Exuvias atrox petat, & spolia ampla reportet.
Ergo agite, & tutas heroï pandite sylvas,
Peráq; vias, montesq; altos deducite salvum:
Non facilis jactura ejus, sed creditur ingens.
Vosq; Deæ triplices, fragilis quæ stamina vitæ,
Fatale & pensum trahitis, mortalibus ipsis
Parcite: nec viridi pensum laniate sub ævo,
Sed magis ad seram protendite fila senectam.
Ah precor hoc unum: toto quod corde precari

Suadet amor: ſuadet magni præſaga boni mens,
Parcitis ut nulli, ſic parcere jure poteſtis
Huic, cui ſpes ingens florentibus eminet annis.
Dum toties iſthæc votis ardentibus opto,
Ecce preces geminanti, atq; inter vota moranti,
Cærula ſiderei diffindens nubila cæli,
Viſa mihi PAX *eſt, nitidis invecta quadrigis,*
Dives opum, dives tranquilli temporis uſu.
Florida vernantem ſtringebant ſerta capillum,
Aureaq; ad talos veſtis defluxerat imos.
Dextra paciferæ ramum oſtendebat olivæ,
Inq; manu læva moderantia lora gerebat.
Hanc ultrò ſequitur comes, & comes ire parata eſt,
Diva rotis inſtructa, incerto & cardine nixa.
Sed paſſu ambiguo nunc Diva volubilis ire
Abnegat: ambiguosq; in Pacis cardine curſus
Molitur mirè: ac reſplendet protinus ipſa
Curvatura rotæ. It Sortis conſtantior ordo,
Pacis ab afflatu, tantæq; à numine Divæ.
Nec moræ, PAX *&* SORS *curſu dant lora ſecundo,*
Prævia monſtrantes Dhonino regna Baroni.
Salve ergo BARO, *Dhoninæ ſpes maxima ſtirpis,*
Atq; Vale BARO, *Dhoninæ ſpes maxima ſtirpis.*
Vos quoq; qui comites eſtis ſocio agmine juncti,

Egre-

Egregii Juvenes, WERNSDORFFO è stemmate nati,
Ite per aërias feliciter ite per Alpes.
Vtq; gradu affini, & consanguinitate propinqui
Estis Dhonino heroï: Sic fœdere juncti
Cognato, unanimes vestram producite vitam.
Vos æterna liget concordi copula nexu,
Incolumesq; omnes ducat fors, atq; reducat.
O comites vestri æternùm salvete Baronis,
O comites vestri æternumq; valete Baronis.

JACOBO MONAW VRATISLAvienſi, cum fratre ſuo Petro ex Academia Witebergenſi diſcedenti:

VOTVM.

VNde iterùm noſtris rediit vigor iſte Camœnis,
Carmen ut heroo aſpirent mihi grãde Cothurno?
At memini egregiam paulatim areſcere venam,
Dum ſtatus hic, dumq; hæc rerum fortuna mearum,
Caſtra ſequi Aonidum duri vetat omine fati.
Dumq; ſacer vates Muſarum tesqua peroſus,
Nunc iter ingredior latum, ſtudioq; forenſi
Deditus, in vaſto extendo mea carbaſa Ponto.
Nimirum hanc nobis Pœbeam in pectora flammam

Sufficit ingenuus ſpectatæ mentis amicus.
Vidi ego ſæpè meas prorſus dormiſſe Camœnas,
Et vidi has rurſum verſu exiluiſſe ſonoro,
Iunc ubi virtuti addictos mens enthea juſſit
Heroa celebrare tuba, & graviore Camœna:
Aut uli fortè aliquis juſtam mihi præbuit anſam,
Auſus & eſt in me rabido procurrere rictu,
Obliqua in vidia, atq; odiis agitatus iniquis,
Ergo mihi Aonius calor hic, & Apollinis æſtrum,
Impetus hicq; ſacer manet, æternumq; manebit.
Si tamen ingenii in me quidquam ſiquid & artis,
(Quorum utrunq; dedit modulo natura puſillo)
Luceat in licitis hoc quovis tempore rebus,
Jungat amicitias, & pacis ſemina ſpargat,
Serviat & charis mihi denicq; ſemper amicis.
Quos inter primus mihi ſe nunc protinus offert,
Doctus & eximia ornatus virtute Jacobus,
Clarus ſtirpe ſua, egregiis ſed clarior auſis,
Monaviæ gentis decus, & flos nobilis, Vrbe
Natus honorata cui Wratiſlavia nomen:
Sileſias inter quæ tantum prominet Vrbes,
Inter nocturnos quantum Heſperus emicat ignes.
Gaude Sileſia, & tu Wratiſlavia gaude,
Quæ magnos virtute viros, quæ gignis alumnos

Indo-

Indole præclara, & magna auctos ingenii vi.
Nam taceam ut multos, cunctosq; è carmine demam,
Quorum alii in gremio recubant telluris amatæ,
Aſt alios contrà mihi fama obſcura recondit,
Eminet ingenua PETRVS VINCENTIVS *arte,*
Quem velut ingenio finxit natura ſagaci,
Tum facili, & dextro, facundo, & ad omnia prompto,
Sic idem patria clareſcere gaudet in Vrbe,
Et pariter toto clareſcere gaudet in orbe.
Namq; velut decorat plantatos villicus hortos,
Et rutam ſerit huc, illuc ſed amaracon infert,
Paciferæ huc rurſum radicem inplantat olivæ,
Vt paſcant oculos pictæ plantaria terræ:
Sic etiam in patria Petrus Vincentius Vrbe,
Excolit egregiis juveniles artibus annos,
Hasq; ſerit plantas, per quas Eccleſia Chriſti
Floreat, atq; ſuas ſumat Reſpublica vires.
Quid joca? quid riſus? quid dictis mota facetis
Gaudia? feſtivamq; jocandi huic objicis artem?
Pro ratione loci cauto qui providus ore
Senſa ſua eloquitur, ſermonem & ponderat omnem,
Et ſapit, & nomen prudentis jure meretur.
Pro ratione loci lætæ inter pocula menſæ,
Qui joca, quiq; ſales, & riſu aſtutus oborto,

Ingeminat nugas, festivo ludit & ore,
Et sapit, & nomen prudentis jure meretur.
Livor in hoc igitur quid habes quod carpere possis?
Nulla sine invidia virtus: carpitq́, fremitq́,
Qui videt in reliquis, sibi quod videt esse negatum.
Verùm vive diu, sera vir digne senecta,
Nestora vince ipsum canis Vincentius annis.
Tu mihi iter claras pandisti doctor ad artes,
Flos mihi quando ævi, teneris crescentibus annis,
Actus ad Albiaci fuerat sacra tecta Lycæi.
Ni mea nunc esset vario districta labore
Musa, tuas etiam laudes nunc, HESSE, referrem,
Inq́ tua virtute, in solo teq́ morarer,
Aspersum dulci contexens laude poëma.
Teutona te vidit, te vidit & Itala tellus,
Inq́ Machaonia erudit feliciter arte.
Ergo ubi Leucorea vixisti Doctor in Urbe,
Ipse tibi medicas Albis quoq́ credidit herbas,
Et miscere dedit felici Pharmaca dextra,
Atq́ docere dedit varios medicaminis usus.
Sed natale solum, Albiacas consumere ad undas,
Non tulit ulteriùs, precioſum temporis usum:
Teq́ sibi genitum patrias revocavit ad oras.
Verùm hæc præcido, versusq́ abrumpo fluentes.

Ad

Ad te iterum noſtram converto, Jacobe, Camœnã,
Quem mihi Theſeo junxit fortuna favore,
Hîc ubi Pierias mons candidus elicit undas.
Nota tua eſt virtus: nota eſt induſtria ſolers:
Et vitæ integritas, & mentis candor apertæ.
Nec ſoli mihi nota iſthæc: te Leucoris ipſa
Suſpicit, & doctum meritò miratur alumnum.
Cur ita? nam bonitas naturæ, & nobile nomen
Sic in te elucent, ut claræ ſtemmata ſtirpis
Non genere, aut proavis, jactesve inſignibus ullis:
Ipſe ſed amplificans naturæ dona benignæ,
Ad mores faciles, ad doctas adjicis artes
Spectatam pietatem, & relligionis amorem
Sinceræ & veræ, nulloq; aſpergine tinctæ:
Lucifugi fuci, invicto ſed dogmate fultæ.
Hæc ita dum præſtas, ac totis viribus urges,
Et variæ linguæ artificem tibi colligis uſum:
Virtutem acquiris genuinam, & nobile ſtemma,
Non nudum, priſca ſaltemq; ab origine ductum,
Verùm in te natum, atq; æterno nomine dignum,
Quod pia poſteritas haud ullo oblitteret ævo.
Luna tibi peperit priſcum cognominis uſum,
Atq; tuæ ſtirpis Luna eſt inſigne vetuſtum.
Ergo velut cælo inter ſidera clara ſereno

Cyn-

Cynthia cùm lucet, plenum molitur & orbem,
In se cornua agens, augetq́, augetur & una,
Paulatim & crescit, donec totum impleat orbem:
Sic quoq́ cresce tuis donis, sic cresce Jacobe,
Macte animo, & vera præstans virtute, Jacobe,
Cresce, inquam, ingenii præclarisq́ utere donis,
Nec prius inceptum studiorum desere cursum,
Quàm tandem attingas doctrinæ culmina summæ,
Aspiresq́ simul meriti ad fastigia honoris,
Et tua sic VIRTVS TANDEM TOTVM IMPLEAT ORBEM.

Salve chare mihi, salve jucunde Jacobe,
Hactenus haud parvo mihi consuetudinis usu
Junctus eras: Neque enim fuerat me promtior alter
Facta referre tua, & dulces tibi fundere versus.
Nec quoq́ te fuerat quisquam mihi junctior alter,
Ob studia & mores vera probitate politos.
Nunc repetens patriam, Albiaca quia cedis ab Urbe,
In qua sedem omnes sibi delegêre Camœnæ,
Vade, & ne veteris capiant te oblivia amici,
Longus amicitiæ nostræ tibi inhæreat usus.
Vade, & ne Albiaci capiant te oblivia Ludi,
Turba Professorum tibi fac ut inhæreat omnis.
Hanc absens etiam justo venerabere honore,
Atq́ scholam hanc firmo amplecteris semper amore,

Con-

Constantiq; fide, matrem velut instauratæ
Atq; repurgatæ doctrinæ: Turba malorum,
Turba tenax falsi, & detrectans cedere cuiquam,
Impetat hunc Ludum quantis hoc tempore telis
Scis equidē, & sortem hanc mecū indignaris iniquam.
Vivimus at, magnamq; adversæ ex agmine turbæ
Molimur palmam, invicti & tela omnia contra
Stamus, in Jonio ceu Saxum immobile Ponto.
Tu quoque nobiscum stabis: nec, docte Jacobe,
Vincula notitiæ contractæ, vincla favoris
Cum doctis inviti firmare gravaberis unquam.
Quin procul externis tibi scripta huc litera ab oris
Pervolet, & veteris confirmet vincula amoris,
Ceu tibi notitia est varia in regione locorum
Cum magnis clarisq; viris, quos Teutona tellus
Ob virtutem amat, ob præclaras suspicit artes.
Quod superest, iter ingressum duce perfice Christo,
Quò fortuna volet, quò te feret inclyta virtus,
Seu te nubiferas ducet via fortè per Alpes,
Sistet & in veteri te tandem Antenoris urbe,
Seu (quod crediderim potius) te Gallica regna
Visere fert animus, felici sidere vade,
Atq; redi nobis felici sidere rursus.
Qui te nunc patrias frater deducit in oras,

Germani fratris tibi junctus ſanguine Petrus,
Hunc quoq; Dii ſervent, & longæ tempora vitæ
Concedant, canis ſic eſt digniſsimus annis.
Quem vigor ingenii ſtimulat, quemq; æmula virtus
Suſcitat excitum, fraterna imitetur ut anſa.
Jamq; huic Argivæ dictant ſua dona Camœnæ,
Dum fluit huic verſus linguæ de more pelaſgæ.
Plura quis ingenii ejus neſcit dona ſagacis?
Integrum & vitæ, & præclaris dotibus auctum
Quis neget? aut magnũ ignoret quoq; mentis acumen?
Vivite felices, duo vivite lumina, fratres,
Vobis creſcit honos, æternæ & gloria laudis.
Affluat ambobus plenis ſors dextra quadrigis,
Atq; iter ingreſsis jucundas deſuper auras
Aſpiret Deus, & comitem ſeſe viarum
Agglomeret lateri veſtro, cunctisq; periclis
Subductos ſervet, ſalvosq; per omnia ducat.
Quod precor & cupio, votisq; ardentibus opto,
Hoc petit, hoc mecum votis ardentibus optat
Egregius forma & juvenis florente juventa,
Staupicio Henricus patre, ſanguine & ortus equeſtri,
Quem vobis ſincera fides, quem junxit amicum
Conſuetudo loci, & placidis concordia verbis.
Quod precor & cupio, votisq; ardentibus opto,

Hoc

Hoc uno mecum Cœtus ſuaviſſimus ore
Expetit, hac tecum qui ſiccat pocula nocte,
Lætior & ſolito curarum oblivia potat.
Sæpè VALE *dicto rurſus nova pocula ſumit,*
Et totam hanc Genio noctem putat eſſe dicatam,
Progq; abitu fauſto compotans, progq; ſalute
Amborum fratrum pleno ſe proluit auro.

ZACHARIÆ STARCK JURIS L. & Annæ Caſparis Curionis LL. Doctoris filiæ, EPITHALAMION.

NUper, *ut irriguas Albis ſpaciabar ad undas,*
Plurima quâ parvis miſcetur arena lapillis,
Quâq; ſitus pons eſt, Haud dudũ infractus aquis pons:
Ecce movens rapidas puer orbus lumine pennas,
Cypria quem mater, pernicibus, edidit, alis
Advolat, & noſtros inopinus territat artus.
Non timui, neq; enim telis puer iſte timetur,
Spicula cùm jaciat blandos facientia amores.
Verùm anceps animi, dubiis mox ſenſibus hæſi,
Conſcius an aliquas ſcirem ſub pectore flammas.
(Urimur ah omnes, humano & carpimur igni.)

At puer haud ſegni torquet veſtigia paſſu,
In ſicca & ſolus mecum ſpaciatur arena.
Jamq́ mihi memorat, quas quondam Matre jubente
Concierit flammas, quæ tela immiſerit orbi:
Mox pharetram monſtrat ſævi geſtamen Amoris.
Ordine vidiſſes diſtincta hîc ſpicula quævis,
Et certis cælata notis: id Apollinis oſſa
Læſit, at hoc rigidæ fixit præcordia Daphnes.
Non equidem cunctis mens ſemper amantibus una eſt,
Ille verecundæ nam captus amore puellæ,
Ardet, & ingeminans crebris ſuſpiria votis,
Hanc optat ſemper, ſuſpirat ſemper in illam:
Hæc contrà, tædas velut averſata jugales,
Abnegat, & miſeri vix nomen novit amantis,
Aut voto ancipiti dubium ſuſpendit eundem,
Exoptatq́ moras ſimulatis ſæpiùs annis.
Hæc ego dum video plena contenta pharetra,
Pluraq́ ſint illi quæ forſan ſpicula, luſtro:
Ecce nec optanti, nec quicquam tale volenti,
Exhibuit telum mihi, quo non pulchrius ullum
Telum aliud fuerat, nec erat precioſius ullum.
Non fuit obtuſum, aut rigidi de pondere plumbi,
Quod fugat, & ſteriles nequicquam reddit amores:
Aurea cuſpis erat, penna aurea, & aureus altæ

Partis

Partis apex, luce aurata pars ima refulsit.
Mirabar, variaq; animum ratione trahebam,
Quid paret hoc telo puer, & quos portet in usus.
Ille autem paucis: O prompte ad carmina Vates,
Quæ tenet ista tuam vana admiratio mentem?
Forte paro forti telum: cui plurima legum
Notitia, invictas facundo in pectore vires
Sufficit, arguti præbens munimina Juris,
Sentiat is, nostrum an mage sit penetrabile ferrum,
Sentiat, & sumptis nos experiatur in armis.
Te quoq; sors olim similis manet: hæc ita fatus,
Extemplò tenues pennis ablatus in auras
Evolat, atq; mihi verba imperfecta relinquit.
Agnovi sensiq; dolum: namq; impiger Albo
Mox stetit in Monte, & lunato fortiter arcu,
Tractantem causas, & seria Jura legentem
Insequitur, fortemq; virum, jam jamq; prehensum
Occupat, & telo superatum trajicit alto.
Olli telum ingens confixo in corde tepescit.
Ecce autem tenso rursum librabat ab arcu,
Præstantem & simili confectam ex ære sagittam:
Illa volans tenues latè diverberat auras,
Nec delapsa prius reflexis decidit alis,
Quàm venit augustæ præclara ad mœnia Dresdæ,

Virginis hîc tandem pectus pertranſiit imum,
Curio quam genitor vitalibus obtulit auris,
Curio facundæ (dum vixit) gloria linguæ:
Virgineum hîc hærens altè bibit acta cruorem,
Protinus & viſa eſt tremere imo in corde ſagitta.
Jamq; ardet prior, & cupit hæc quoq; nomen amantis.
Viderat hoc pharetratus Amor, riſuq; reſultans
Avolat: I ſævos & ſperne Cupidinis arcus.
Fallor? an iſta notant pactæ tua fœdera tædæ,
Zacharia, ô multo mihi cognite temporis uſu?
Sic reor: En thalamo tibi jungitur Anna jugali,
Anna puellaris ſpecimen laudabile cœtus.
Plurima quam decorat pudibundo gratia vultu,
Et matura viro eſt, plenis adolevit & annis,
Illa tuos oculos inflexitq; illa tuum cor.
Sequana te quondam, & te Matrona vidit alumnum
Militiæ duplicis. Studio nam ſedulus acri,
Clara revolvebas veterum nunc ſcripta Sophorum,
Quicquid & immenſum Juris tibi præbuit æquor.
Nunc quoq; neſcio qua fatorum impulſus ab aura,
Dum Mars ſævit atrox, bellorumq; ingruit horror,
Arma armis miles præſenti es corde ſecutus.
Alſatios ſed enim Rhenus quoq; vidit in agros
Bis te adventantem: bis doctæ caſtra Minervæ

Sectan-

Sectantem, votis nec inanibus illa petentem.
Regia quinetiam quâ sunt sita limina Pragæ,
Hospes in ignota es, sed non inglorius, Urbe
Visus, agens multas fœlici numine causas.
Sed series mihi longa subit: Te Leucoris ora
Participem rerum multos jam detinet annos,
Optata & cernit tandem te sorte maritum.
Multa peragrasti longinquis regna sub oris,
Ardua dum vasti, tibi Sponse, scientia Juris
Hinc atq; hinc vario quæsita est major ab orbe.
Postq; tot eventus, post tot discrimina rerum,
Ecce tibi insidias illustri struxit in urbe,
Successumq; dedit fatis fœlicibus Hymen.
Et benè habet: venit, ecce venit, Virgo ecce propin-
Cui Venus, ex ipsis & gratia ridet ocellis. (quat,
Jam tuba dat signum: & Sponsum te Dresda salutat,
Quam mediam intorta lavat Albis perfluus unda.
Optatis satiare tuis: tibi ducitur illa,
Quam propter toties mistis suspiria votis
Ducebas, gemituq; ardenti sæpè fremebas.
Ac veluti siccis quando arent faucibus ora,
Clamorem attollens æstivas expetit undas
Cervus, anhelantes fessosq; ut recreet artus:
Sic quoq; Zacharia nunc huc, nunc hactenus illuc

Sicca

Sicca ſitibundo flectebas ora palato.
Jam compos voti es: Sponſa præſtante potitus,
Æger habes magni præſens medicamen amoris.
Cernis ut incedit greſſu tua Sponſa decenti?
Quos oculos formoſa gerit? quos frontis honores?
Aſpice quando datur: nil non laudabile cernes.
Suaves dulcè micant oculi: Ceu luce reflexa,
Inſita in aurato ſcintillat gemma monili.
Prætereo hæc: formæ dotes nam vincere certant
Et pietas vitæ, & mores probitate politi.
Non mirum ſi Virgo pia eſt, ſi Sponſa pudica,
Quando piis pariter clariſq; parentibus orta eſt,
Quîs ſacra relligio, divini & dogmata verbi
Semper erant curæ, vel ab ipſo limine vitæ.
Scilicet in natas manant exempla parentum,
Utq; Deum Mater, ſic Matrem Nata ſequetur.
Ergo Zacharia claris virtutibus aucte,
Gratulor hanc multis Sponſam quoq; dotibus auctam
In caſſes cecidiſſe tuos: tibi retia rurſum hæc
Tendat, in alternas quæ impellant oſcula malas.
Ipſe licet fortis ſis, forti & robore præſtans,
Fortiaq; es natus verboſi ad prælia Juris:
(Hinc tibi nam credo cognomïnis omen ineſſe)
Sic tamen haud rigido indurabis pectora ſaxo,

Ut

Vt blando interdum non victus amore labascas.
Omnia vincit amor: num tu superabis amorem?
Vix puto: Quò major præstanti in corpore virtus
Eminet, hoc mage sunt faciles sub pectore motus.
Sic Leo magnanimus, generosa percitus ira,
Sævit, & incurvo diffractas ungue columnas
Portat: jamq; bipes graditur, spumantis & Apri
Expetit occursum, horrendos tollitq; rugitus:
Ecce lacessitus sociæ sed amore Leænæ,
Mitigat ultrò animos, ingentesq; abjicit iras,
Oblitusq; hostis, lasciva verbera caudæ
Concutit, & vix jam votum, vix cætera differt.
Et dubitet quisquam victrici cedere amori?
Quo nos cunq; trahit pronos natura, sequamur.
Sed nunc, Sponse, tuas ornantia carmina tædas
Accipe, amicitiæ pignus durabile nostræ.
Jam nova ducuntur læto convivia plausu:
Insonuêre undæ magno clangore tubarum,
Lætus ut ipse Albis ripa dissultet utraq;.
Ipsi etiam Satyri inter lustra silentia saltant,
Exercentq; choros vicino in littore Panes.
Quam cuperem tantis spectator rebus adesse!
Posset ut in nostris res quælibet esse Camœnis.
Sed quia præsentem ratio me temporis hujus

Esse vetat, lætis adsint mea carmina tædis.
Si quis erit pompam conviva rogatus ad istam,
Quem mihi sincero junxit fortuna favore,
Sit memor ille mei, quoties meminisse decebit.
Inter honoratas nostri is memor esto puellas:
Cùm visum & fuerit media inter pocula mensæ,
Arrepta patera pleno se proluat auro,
Et breviter dicat: Jucundi, Hermanne, sodales
Te patera hac hausta charum testamur amicum.
Quod superest, junctas tendens ad sidera palmas,
Conjugio huic, tædisq; sacris, lætisq; Hymenæis,
Et precor, & semper fœlicia fata precabor.
Par salve optatum, par firmo fœdere junctum,
Quod solvat nemo, quod nulla & separet hora,
Nulla, nisi è vita qua functi excedimus ista.

PAVLO VETZERO, ET IOHANNI Lauterbachio, Witeberga discedentibus in Galliam.

NEc tu carminibus VETZERE tacebere nostris,
Quãdo viæ accinctus longinquas tendis in oras,
Hinc ubi arenosum Mons Albus claret ad Albim,
Etsi autem varia districtus mole laborum,
Magna mole equidem, & curis vexatus iniquis,

Nunc

Nunc virtute tua dignum contexere carmen
Non valeam ſubitò: brevibus tecum eſſe camœnis
Non tamen averſor, nec te celebrare recuſo,
Dum ſeſe comitem tibi LAVTERBACHIVS *offert,*
Per loca, per populos longinqua ſede remotos:
Ambo auſis, ambo inſignes virtutibus amplis,
In ſtudio gemini verſantes Juris & ambo.
Hactenus Albiaci facunda corona Lycei,
Te Lauterbachi charum ſibi fovit alumnum,
Et mirata animi dotes, mirata juventam
Artibus egregiis excultam, & Pallade ſacra,
Deniq; doctrina & vera pietate decoram.
Nec minus ingenuum te mirabatur alumnum
Leucoris, eximio teq; eſt amplexa favore,
*V*ETZERE, *ingenuos ingens pars inter amicos,*
Quos uſus creber fauſto mihi Numine junxit.
Multa tua eſt virtus: multisq; in pectore donis
Accumulas plures præſtanti in corpore dotes.
Ergo mihi occurſant meritò virtusq;, fideſq;,
PAVLE, *tua, infixiq; hærent in pectore vultus.*
Nunc quia cornigero digreſſus cedis ab Albi,
PAVLE, *è longinquis redeas ut clarior oris,*
Te reducem exoptet crebris tua patria votis,
Cujus erit magnæ tibi poſt Reſpublica curæ.

Si qua tibi est (velut est) varia experientia rerum,
Humana in vita longum quæsita per usum,
Hanc totam in commune bonum, patriæq; salutem
Confer, in hoc totis incumbe & viribus unum.
Ardua res, & cura gravis, Respublica si quæ
Ritè gubernanda est, armandaq; legibus ipsis:
At virtutis opus populi indagare salutem,
Et magnæ pietatis opus, nec gloria parva.
Vade ergo, atq; redi in patrias mox clarior oras,
Auctior ingenio, virtutibus auctior amplis,
Ut tibi surgat honos fama, VETZERE, perenni.
Sic eat & redeat mihi LAVTERbachius ipse,
Qui fidus tecum ignotas comes ire per urbes
Expetiit, & certo certus se jungit amico.
Vos Araris Ligerisq; amnes, Rhodaniq; fluenta,
Et pagi atq; urbes, quascunq; intrabitis ambo,
Excipiant dextro adventantes alite salvos.
Ac vestris olim felici sidere amicis
Incolumes reddant, patrioq; in limine sistant.
Dum precor, aspirant jucundæ leniter auræ,
Atq; serenat iter ventis DEVS ipse secundis.

CLE-

CLEMENTI GILNERO OENOpola Academiæ Witelergensis, & Barbaræ, Nicolai Henningi Oeconomi ejusdem Academiæ, filiæ:

CVM BACCHO, CERES ET VENVS DEÆ, MISSAE NOVIS SPONSIS.

NE quisquam risum versus effundat in istos,
Nec primo aspectu, nec primo à limine Divas
Judicet has nostras, sed toto in carmine totos
Defigat sensus, & versus perlegat omnes.
Quà nemus arboreum est bibulas juxta Albis arenas,
Hac rimabar iter secessus inter amœnos,
Præpositam sese credit quibus alma Dione.
Ecce autem ut varias mœsto sub pectore curas
Versans, invitam cogebam ad carmina venam,
Versibus admiscens luctus, & luctibus iram,
LIBER ET ALMA VENVS patula sedêre sub umbra
Arboris eximiæ, placidis & labra loquelis
Mutua solvebant: vicina ego tectus in umbra
Audio, & erectis sursum velut auribus asto:
Talia sed Liber cupido prior expedit ore.
Quò tibi amor nostri, quò tandem cura recessit
Diva potens Cypri? ut dum tot labentibus annis
Sæpè tibi implevi generoso pocula vino,

Me facias frigere tamen præcordia circum.
At memini, alma Venus, ni sit tibi copia nostri,
Te quoq; frigêre, igni quando alimenta negantur.
Quantum erat ut sociæ sineres me gaudia vitæ
Carpere, cumq; aliqua vitam traducere costa.
Haud procul à portu navis tua fertur abesse,
Mater Amoris ait: Tu, Liber, ne qua Dionæ
Dicta cave spernas, Veneris sed præmia spectes.
Quod petis à nobis, & votis omnibus urges,
Hoc tibi largimur: Frugum hæc mihi sit Dea testis,
(Et CERERE M *ostendit) testis quoq; virgo pudica,*
Quæ prognata patre est, cui cura domestica fecit
Grande onus officii, vulgarem & nominis usum.
Hanc tibi connubio jungam, propriamq; dicabo
Egregiæ sponsam formæ, & florentibus annis,
Imbutam pietate, & relligionis amantem
Sinceræ, multisq; aliis virtutibus auctam.
Illa sui officii quid sit, quid eritq; futurum
Ex Cerere edocta est, docuisse hanc sufficit unam.
Sed quæ tu rursum meritis, quæ præmia nostris
Digna feres, Liber? quæ nobis gratia de te?
Dicam equidem, & paucis dicam: tu ne qua Dionæ
Jussa time, promptasq; adhibe mihi gratior aures.
Odi equidem ingrato fœdatum sulphure vinum,

Odi

Odi etjam nimia dilutum quod datur unda.
Sincerum ſincera volo: ſincerus amator
Si fueras, ſemper ſincerum vendito vinum.
Qui bibit admiſto corruptum ſulphure Bacchum,
Is ſeſe ad Stygias paulatim præparat undas.
Hinc veniunt lites, hinc verba & verbera ſurgunt,
Hinc ſenſus hebetes, nec acuto lumine viſus.
Hinc uſto jecore, uſtis & cum ſanguine venis,
Ceu lepræ color in facie: hinc in corpore toto
Aut tremor, aut pallor, quæq; eſt memorare moleſtum.
At qui plena bibit generoſi vina ſaporis,
Huic vigor ingenii, & ſenſus redduntur acuti.
Judicium huic dextrum & promptum: huic quoq; for-
Nativus durat, ſanoq; in corpore ſana (ma, calorq;
Mens manet, in ſero longè robuſtior ævo,
Tali ubi quis vino moderata lege fruatur,
Nec noctem luci, nec lucem noctibus æquans,
Intempeſtivis iteret convivia poclis.
Ergo vos quibus eſt venalis cura Lyæi,
Diſcite juſticiam moniti, & non perdere vina,
Proq; mero vili auro multo emungere multos.
Sic vobis faveat blandis Venus ipſa lacertis,
Conjugium & veſtrum fato meliore ſecundet.
Hæc ubi finiſſet Dea, Liber poplite flexo,

Promi-

Promisit q̃ fidem, dextra q̃ astrinxit amica.
Fallor? ad Albiacas hæc num fataliter undas
Evenêre mihi? nemorum ut loca grata petebam,
Tempore quo ingrederis thalamos, GILNERE, *cupitos?*
Fata regunt vates, fictis veracia vates
Sæpè etiam involvunt, & ceu per somnia quædam,
Visa prius nulli, soli quoq̃ cernere possunt.
Quæ scripsi, haud mea sunt, almæ sed dicta Dionæ,
Obsequere his ergo, & monitis pareto benignis.
Sic te Diva liget venerando Cypria cesto,
Atq̃ tuam sponsam casto tibi servet amore,
Sic quoq̃ conjugium hoc concordia multa serenet.
Plura dabit Deus, & dulci vos prole beabit,
Cujus ab auspicio sint vestræ hæc gaudia tædæ,
Hoc duce amor vester vires ut sumat eundo.

CHRISTOPHORO HVEBMERO Welsensi Austriaco, Witeberga 10. *die Aprilis discedenti.*

CAna recessit hyems, & veris amabile tempus
Nunc iterùm molles aspirat leniter auras,
Recludit q̃ poros terra, & viridantibus arvis,
Posthuma rursum oritur populatis gratia sylvis,
CHRISTOPHORE *in patriam quando proficiscēris urbem.*

Ergo

Ergo fremo tacitè, fortunam indignor & istam,
Quòd totus curis ita sim districtus iniquis,
Tempore in angusto hoc, ut grandi attollere versu
Non mihi te fas sit, præsenti at sorte negatum.
Sed neq; tu famam scripto venaris in isto,
(Qui tuus est candor) nec laudem hinc quæris inanẽ.
Sat tibi dant laudis naturæ ingentia dona.
Rara tibi elucet juvenili in corpore virtus,
Et mores rari, & rara experientia rerum.
Namq; ego te quantis fortunæ sæpè procellis
Jactatum audivi, varia in regione locorum?
Longa referre mora est: actæ qui tempora vitæ,
Mille vices rerum, & cunctos cognoscere casus
Expetit, ille tibi non surdas præbeat aures.
Parva sed hæc forsan: major tibi fama paratur,
Artibus ingenuis quando studioq; forensi
Incumbens, laribus cupis utilis esse paternis.
Fallor? an idcirco patrias revocaris in oras,
Ne tibi flos ævi inter gentes orbe remotas
Externo pereat, patria sed crescat in urbe?
Sic, sic litterulis incisis cortice molli
Fertur in alta abies, crescens crescentibus illis.
Quò te nunc tua sors, quò te fert impetus iste,
Vade bonis avibus stagnante profectus ab Albi,

Qui te turbatis nequicquam optaverit undis.
Sive sed aëreas fato delatus ad Alpes,
Per prærupta juga Ausonias mox ibis in oras,
Musarum causa, & Juris civilis amore:
Sive (quod ut credam causis impellor honestis)
Vitæ ævum reliquæ in patriis traducere terris
Est animus, Vade, & felici insistito gressu.
Effice ut ante oculos chari tibi imago parentis
Astet, in hunc totis tua dirige lumina nervis.
Floruit hoc quondam Respublica Consule felix,
Consule Welsensi. Non hoc servantior æqui
Alter erat, pacis nec erat studiosior alter.
Hunc igitur totis imitabere viribus unum,
Ut per te crescat quondam Respublica, crescat
Candida pax, pacem concordiaq; alma sequatur.
Vade, sed hanc æquus nunc suscipe, quæso, Camœnam,
Fida comes lateri loca per longinqua, viasq;
Quæ cupit ire tuo, & juncto vestigia passu
Tollere, in Austriacas gaudens excurrere terras.
Si Deus optata mihi desuper annuet aura,
Et me tam vario rerum in discrimine pressum
Tollet humo tandem, meliori & sorte beabit,
Te quæram, Hubmere, ignotis peregrinus in oris,
Gaudeboq; tuæ dextram conjungere dextræ.

Longus

Longus amicitiæ noſtræ tunc uſus amore in-
Augebit veterem. & Theſea mente ligabit.
Interea degam, reflantibus undiq; ventis,
(Quando ita Dius viſum) juvenile haud turpiter æ-
Hic ubi Leucorei ſita ſunt ſacra tecta Lycæi. (vum,
Scribere plura quidem vellem, ſed ſcribere plura
Temporis iſtius brevitas vetat. I pede fauſto,
Et cape ab Hermanno monimentum hoc vile Boruſſo,
Manſurum æterni monimentum ſemper amoris.

LAURENTIO COLLINO, A GE-neroſo & nobili Senatu Provinciali inferioris Auſtriæ Witeberga avocato.

NUnc, COLLINE, tuas properato carmine laudes
Dicere fert animus, patrias revocatus in oras
Quando iter ingrederis, nec te remoratur euntem-
Torrida quæ rapidis terram urit ſolibus æſtas.
Accipe difficili confectum tempore carmen-:
Aret humus, fruges arent, aret mea vena.
Vilibus ignoſces igitur, COLLINE, Camœnis,
Dum meliora canam, quando qui pectora junxit
Sincera Deus ipſe fide, nos corpore rurſum-
Jungет, & æterno devinciet uſq; favore-.

Avocat in patrias ordo te nobilis oras,
Nec non præterea generosi cura Senatus.
Nimirum explorata tua est virtusq́, fidesq́,
Et doctrina simul, tot jam labentibus annis
Dum sequeris miles doctæ sacra castra Minervæ.
Ergo Leucorea quoniam discedis ab urbe,
Undecimum quæ te fato est remorata per annum,
Auspice vade Deo, Austriacasq́, invisito terras,
Inq́, tuo officio felicibus utere fatis.
Nobilium cœtus tener, & generosa juventus
Deducenda tibi doctas tradetur ad artes.
Ardua res teneram ævo florescente juventam
Artibus imbuere, & virtutum semina sensim
Spargere, ut in rudibus radices mentibus altas
Defigant, crescantq́, illæ crescentibus illis.
Ardua res (inquam) nec cura est grandior ulla.
At pietatis opus teneram informare juventam,
Et virtutis opus patriæ indagare salutem.
Ergo vide, cautisq́, vigil circumspice ocellis,
Floreat ut per te primæ lanuginis ævum,
Floreat & per te multos feliciter annos
Laureacum, gentis vestigia prisca vetustæ
Quod retinens, fert à nato primordia Christo.
Fortè etjam longo prius extitit intervallo,

Si qua

Si qua fides scriptis, si famæ credere fas est.
His verò ingenua virtute GEORGIVS *oris*
GIENGERVS *residet, nostri flos maximus ævi.*
Hic vir, hic est unus, quo vix est clarior alter,
Quem proceres cuncti, quem Cæsar suspicit ipse,
Consilii ob gravitatem, ob magnũ & mentis acumen,
Doctrina insigni, & præclaris dotibus auctum.
Nota viri virtus, nota ingens ingenii vis,
Munere in imposito, variorum & mole laborum
Nota fides ejus, nota est industria cunctis.
Inde suo studio, virtutum & laudibus istis
Hosce favore sibi, & magno devinxit amore,
Grandibus in curis qui magna negocia tractant
Cæsaris invicti, quem Teutonis ora veretur.
Hicq; KVGELMANNVS *cælestis semina verbi*
In cœtum humanum præco vigilantior unus
Spargit, & æthereas quæ sit via monstrat ad ædes.
Vir magnus multis virtutum dotibus auctus,
Cui pietas ingens frontemq;, oculosq; serenat,
Et lampas velut è vultu atq; è mente relucet.
Hos magnos, COLLINE, *viros Fortuna, Deusq;*
Conjungant dulci tibi consuetudinis usu.
Hi patriæ sunt ambo tuæ ceu nobile lumen,
Quod flammam attollens nocturnas discutit umbras.

Tu quoq; , Laurenti, totis conatibus ac vi
Effice, ut in patria floreſcas clarior urbe.
Quod ſupereſt, vade, & ſedes inviſe paternas
Salvus & incolumis, ventis melioribus utens.
Dum precor, aura levi ſpirat jucunda ſuſurro,
Cynthius & rapidos paulatim mitigat æſtus.

DE RECTORATV ACADEMIÆ Witebergenſis, per Magnificum & Generoſum Dominum Stephanum Gans, liberum Baronem à Pudletz, &c. renunciato, Anno 1571.

DVm Baro Pudlicio Stephanus de ſanguine natus,
Sceptra, quibus rexit docti magna agmina Ludi,
Deponit rurſum, & Rectoris munia linquit:
Pars plauſum ingeminant, tota bachantur & Urbe;
Pars contrà triſti ducunt ſuſpiria corde.
Cauſa rei tecta eſt: ſed cauſas ſcrutor ut omnes,
Scrutanti tandem hæc animo ſententia ſedit.
Quos effrenis agit FVROR in contraria recto
Senſa, inopes animi, & veræ virtutis egentes,
Plusq; mero & luxu, quàm Muſis tempus agentes:
Hi gaudent, ſicasq; ferunt, enſesq; coruſcant
Nocte ſub obſcura: furiata mente per umbras

Tela

Tela rotant: crebro pulvis inſcribitur ictu,
Dum ſtolidi gladios hebetant in ſaxa retortos.
Iſti (inquam) gaudent, ſibi jamq́ impunè licere
Omne nefas credunt: quando juſtiſſimus unus,
Æqua reſignati ponit moderamina ſceptri.
Ille bonis facilis: gravior ſed & ille ſuperbis,
Noluerat juſtus laxas dare Rector habenas,
Sed juris, rectiq́ tenax, frenare feroces
Nôrat, ceu miti ſubjectos mente fovebat.
Quæ ratio at luctus? quæ viſi cauſa doloris?
Nam video preſſo, mitiq́ MODESTIA vultu
Triſtior ut ſolito eſt, pallaq́ involvitur atra,
Et metuens rixas vix greſſum ex ædibus effert,
Aut ſi fortè effert, non longis paſſibus errat;
Nimirum metuit, ſtricto de jure remiſſum
Ne ſit fortè aliquid, quo laxa licentia ferri
Rurſum eat, & magnam rumorum præbeat anſam.
Dum metuit tremebunda, venit CONSTANTIA
In jure immoto: Leges quæ numine firmas (perſtans,
Reddit, & illæſas tibi, IV iteberga, reſervat.
Hæc ſe conſtantem caſus profitetur in omnes,
Promittens curam, promittens tempore quovis,
Parcere ſubjectis, ſed enim punire ſuperbos.
Et jam crateras ſtatuunt, & vina coronant
Omnes,

Omnes, insignis Doctorum ut considet Ordo,
Consilio qui nempe gravi, quiq; omine dextro
Sacra prius Stephano tradebat sceptra Baroni.
Salve ô Pudlicius sanguis, cui pulchra corona
Contulit, Argiva deductum ab origine, nomen:
Nos læti ad mediam trahimus convivia noctem,
Optamusq; tuæ longissima tempora vitæ.
Vive, tuisq; vale magnis virtutibus aucte,
O Stephane æterna laudum decorate corona.

POEMATVM ACADEMICORVM LIBRI SECVNDI FINIS.